

**LUIS DEL ALCÁZAR, S.I.
In evangelium Joannis praefatio.**

En el volumen 52 de esta revista, *Archivo Teológico Granadino* 52 (1989) 5-50 se publicó un artículo, *Luis del Alcázar (1554-1613). Biografía. Escritos. Bibliografía*. Entre los manuscritos de este autor se indicaba la existencia en la Biblioteca de la Universidad de Salamanca del ms. 760, (22 x 16 cms.), que en sus primeros 107 folios contiene la exposición de Luis del Alcázar «In evangelium Ioannis praefatio». Son los apuntes tomados por un alumno, como se desprende de las irregularidades del escrito.

En orden a establecer el año en que Luis del Alcázar leyó esa materia nos consta que su docencia de la Sagrada Escritura se extiende desde 1583 a 1596, como indican los catálogos de jesuitas de la provincia de Andalucía posteriores a 1596, en los que se indica que «ha leído 13 años de teología positiva»; también, en 1611, dos años antes de su muerte, se dice de él que ha leído teología positiva 12 años. En esos catálogos consta que en los años 1585, 1587, 1591 y 1593 leía teología positiva en el colegio de Sevilla; allí, pues, parece que dictó esas lecciones sobre el prólogo del evangelio de San Juan, que nos proponemos editar en éste y en los siguientes volúmenes de esta revista. En el primer folio del manuscrito se lee esta nota:

Author Expositionis huius in Evangelium Ioannis, et epistolae ad Romanos videtur esse Pater Ludovicus de Alcazar, cuius extant alia opera in hac Bibliotheca, partim impressa, et Ms. In Iob, Proverbia et Hieremiam. [Sello de la Biblioteca Universitaria de Salamanca].

Quod de Christo asseratur in singulis capitibus

C. 1º. Verbum Dei, Vita, Lux. Auctor Gratiae et Veritatis. Christus, Agnus Dei, baptizans in Spiritu Sancto. Filius Dei et Rex Israel. / Llama a los pecadores. Instruye a Natanael.

C.2. Humanissimus in convivio. Severissimus in Templo.

C.3. Spiritualis doctrinae Magister. Sponsus, missus a Deo.

C.4. Tollens sitim. Salvator mundi

C.5. Vivificator, iudex vivorum et mortuorum. Et cui testimonium perhibent Scripturae

C.6. Panis de Coelo verus, Cibus et Potus animarum. Suscitor mortuorum.

C.7. Egregius concionator. Missus a Deo. Sitim tollens.

[f.1]

In Evangelium Ioannis prefatio

1. Auctorem et auctoritatem huius libri negaverunt quondam quidam haeretici quos Santi Patres vocant *alogos* seu *alogianos*, id est sine Verbo, eo quod Verbum predicatum in hoc Evangelio non reciperent. De quibus vide Philastrum, c.60¹; Epiphanium, libro.2²; Augustinum, De haeresibus, c.30³; Castro verbum *Deus*,7, et verbum *Sacra Scriptura*,8,1⁴. Eundem fere errorem sequuti sunt manichaei et post eos anabaptistae qui fatentur Ioannem scripsisse hoc Evangelium sed aiunt a catholicis fuisse multis in locis vitiatum, atque ita non esse apud nos integrum et incorruptum. Contra quos vide Augustinum, 16 Contra Faustum, c.2⁵, et Sixtum Senensem, l.7, haeresim 5⁶.

2. Ecclesia Catholica non solum recipit hunc librum inter Canonicos sed etiam reliquis omnibus Sacrae Scripturae libris semper eum praefecit utpote excellentissimum inter Evangelia. (Dice Origenes⁷ que las primicias de la Sagrada Escritura son los Evangelios, y entre ellos el de S. Juan.)

Nihil dico de Auctoris elogiis, nam opus per se satis commendat Auctorem; iuvabit tamen legere apud Metaphrastem in vita Ioannis⁸, et apud Procorum, c.46, quo caeli et terrae stupore, quibus signis atque portentis, et qua divini splendoris significatione scriptum sit liber hic. Sed forsam quis Procorum quasi subiectitium non recipiet eo quod se Scripturae faciat ministrum, cum Doroteus martyr in Synopsi notarium fuisse dicat Caium illum de quo Paulus, ad Romanos ultimo, *salutat vos Caius*. Respondeo: si Dorotei libro habenda est fides, Caium non fuisse ministrum Scripturae sed per eum publicatum fuisse Ephesi Evangelium quod ab insula Patmos scriptum asserebat Ioannes.

3. Conveniunt Procorus et Doroteus Evangelium hoc scriptum fuisse in Patmo, et cum eis concordat Theophilactus in prologo⁹, Metaphrastes, in vita¹⁰ et Nicephorus¹¹ in Historia, l.2, c.4, et l.3, c.9. Sed contra hos obiici solet gravis-

¹ FILASTRIUS, *Liber de haeresibus*, c.60. PL 12,1174.

² EPIFANIUS, *Adversus haereses*, l.2, t.1. PG 41,891.

³ AUGUSTINUS, *De haeresibus ad Quodvultdeum*, c.30. PL 42,31.

⁴ ALPHONSUS DE CASTRO, *Adversus omnes haereses libri XIV. Deus*, haeresis 7^a, alogiani. Paris 1541, f.99v. *Scriptura Sacra*, octava haeresis, alogiani. Ibid. f.212

⁵ AUGUSTINUS, *Contra Faustum*, l.16, c.2... PG 42,315.

⁶ SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, l.7, haeresis 5. Venecia 1566, p.946.

⁷ ORIGENES, *Commentariorum in Ev. Ioannis*, t.1. PG 14,30.

⁸ SIMEÓN METAFRASTES, *Vita Sti.Ioannis*. PG 116,690.

⁹ THEOFILACTUS, *Enarratio in EV. Ioannis*. PG 123,1134.

¹⁰ SIMEON METAFRASTES, *Vita S. Ioannis Ev*. PG 116,691.

¹¹ NICEFORI CALLIXTUS XANTHOPULI, *Eclesiasticae Historiae libri decem et octo*. L.2, c.42; L.3, c.9. PG 145,870,916.

sima auctoritas Eusebii¹², Irenaei¹³, Epifanii, Hieronimi, Augustini, Bedae¹⁴, Suidae, qui solent citari ad probandum Evangelium hoc fuisse scriptum Ephesi, post reditum ab exilio. *Dico 1^o*: aut Procori librum habendum esse pro ficticio, aut ei omnino credendum in hoc tanquam testi oculato et Apostoli Notario et uni ex 7 diaconis. (Es verdad que lo dicen los prólogos que se atribuyen a S. Jerónimo y S. Agustín y los que los comentan como Hugo¹⁵ y Sto. Tomás, sed prologi non sunt eorum doctorum, ut patet). *Dico 2^o*: falso citari tot auctores pro contraria sententia, cum solum dicant Ioannem ultimum omnium scripsisse Evangelium, ut patet ex Eusebio¹⁶, 1.3, c.13 et c.14, ubi citat Irenaeum, et c.18. Et quamvis Hieronymus, *De viris illustribus*¹⁷, dicat Ioannem rogatus ab Asiae Episcopis Evangelium scripsisse, potuit tamen per epistolas rogari cum adhuc esset in Patmo, aut ipsis episcopis eum invisentibus et antequam eum in Asiam reducerent deprecantibus una cum insulanis ut facilius ab eis permitteretur Apostolum Ephesum redire, nam vel ex ipso Procoro constat reductum fuisse ab Episcopis Asiae et insulanos id aegre tulisse et ab eo impetrasse ut ante profectionem scriberet Evangelium. Solus Suidas aperte dicit reversum ab exilio id scripsisse iam centenarium, sed in Apostoli aetate manifeste decipitur cum ei tribuat 120 annos vitae. Epiphanius¹⁸ [f.1v] nonagenarium scripsisse ait; Augustinus (vel potius is cuius est prologus¹⁹) post annum 65 ab Ascensione; et idem tribuitur Bedae²⁰, *De gloria martirum*, c.30, sed cum his consentit Procorus qui assignat scripturae tempus nempe post Apocalypsim et post mortem Domitiani qui mortuus est anno Domini 97. Et faciunt supra citata ex Hieronimo et Eusebio et Euthymio²¹ in prologo. Euthymius solum ait multis annis post captam Hierosolimam. Unde lapsus aut mendum est in Theophilacto²² dum assignat annum 32 ab Ascensione, et sibi ipsi contradicit quia eo anno nondum fuerat in insulam relegatus, missus enim est a Domitiano qui nondum imperabat anno 50 ab Ascensione Cristi. Missus ut apparet post multos annos imperii, tunc enim coepit

¹² EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Vita S.Ioannis Evang.* PG 116,691.

¹³ IRENAEUS, *Adversus haereses* 1.3, c.1. PG 7,845.

¹⁴ VENERABILIS BEDA, *In S.Ioannis Evangelium expositio*, c.1. PL 92,636.

¹⁵ HUGO DE S. VICTORE, *Liber quintus in Ioannem*, c.1. PL 175,829.

¹⁶ EUSEBIUS CESARIENSIS, *Historiae Ecclesiasticae* 1.3, cc 13,14,18. La edición usada es de Lovaina 1569, folios 50-54, sólo en latín y varía bastante de PG. (Cap.18: PG 20,251.)

¹⁷ HIERONYMUS, *De viris illustribus*, c.9. PL 23,654.

¹⁸ EPIPHANIUS, *Adversus haereses*, 1.2, haeresis 51, XII. PG41,910.

¹⁹ *Praefatio incerti auctoris*. PL 35,1377.

²⁰ VENERABILIS BEDA, *In S.Ioannis Evangel. Expositio*, c.1. PL 92,655.

²¹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, PG 129,1107.

²² THEOPHILACTUS, *Enarratio in Evangelium Ioannis*, Praefatio, PG 123, 1133.

cristianos persecui. Et facit Hieronymus, *De viris illustribus*²³. Simile mendum dicitur esse in Nicephoro supra. Et quia non est in animo de loco valde contendere, de tempore saltem nulla fere est controversia cum utriusque auctoris sententiae conveniant Ioannem scripsisse Evangelium circiter reditum ab exilio, sive scripserit in Patmo iam iam profecturum sive postquam Ephesum pervenit. Utrumvis autem saltem post mortem Domiciani circiter finem vitae ipsius Ioannis cuius mors assignatur anno Domini 100, quando Traianus accepit imperium. (Estando el cisne para morir)

4. Ex dictis colligitur valde verisimile esse quod notat D. Thomas²⁴ in prologo, nempe Evangelium hoc scriptum esse post omnes alios Sacrae Scripturae libros, atque adeo esse veluti coronidem illorum et ultima verba Dei ad Ecclesiam ac proinde maxime commendata, et quidem bene habet ut idem sit ultimus et optimus Sacrae Scripturae liber, et idem initium primi et ultimi ut annulus hic et omnium scientiarum enciclopedia redeat ad gemmam. (El anillo que se dio a la Iglesia como a esposa.)

5. Quod post tres evangelistas scribere voluerit Ioannes et quomodo in tam differenti narratione ab eis non dissentiat optime explicant Eusebius 1.3, c.18²⁵, et Hieronymus, *De viris illustribus*²⁶, neque solum explicant sed etiam evidenter probant, ut suo loco videbimus.

6. Praeter hanc scribendi causam dicit Hieronimus²⁷, et post eum fere omnes interpretes, Ioannem ex professo scripsisse Evangelium contra Cerintum et alios eius temporis haereticos, et maxime contra Ebionistarum dogma. Et idem docet Irenaeus, 1.3 Contra haereses, c.11²⁸. Dico 1º, non esse eadem dogmata Ebionitarum, Cerinti et Nicolai, ut videre est apud Eusebium, 1.3, cc. 21, 22 et 23²⁹. Nam Ebionitae Christum purum hominem faciebant; Nicolaus libidinis licentiam promulgabat, et Cerintus futuram felicitatem in huius vitae sordibus promittebat. Dico 2º Ebionitas hic ubique damnati, confundi, et non semel Nicolaum, approbante Christo nuptias et adulterium condemnante; sed utrumque obiter contra Cerintum non ita facile occurret in Ioannis Evangelio. (No se baja tanto el águila real.) Imo cum caeteri evangelistae doctrinam morum coniungant cum doctrina Fidei, Ioannes moralia praetergressus totus versatur

²³ HIERONYMUS, *De viris illust.*, c.9. PL 23,655.

²⁴ THOMAS AQ., *In Prologum Sti. Hieronymi Expositio*. Ed. Vivès t.19, p. 675.

²⁵ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Historia Ecclesiastica*, 1.3, c.18. Lovaina 1569, fol.54v.

²⁶ HIERONYMUS, *De viris ill.*, c.9. PL 23, 655.

²⁷ HIERONYMUS, *De viris ill.*, c.9. PL 23,654.

²⁸ IRENAEUS, *Adversus haereses*, 1.3, c.11. PG 7,880.

²⁹ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Historiae Ecclesiasticae*, 1.3, cc. 21,22,23. Lovaina 1569, ff.56s. Cc.27-29. PG 20,274-278.

in explicanda Christi maiestate et ea felicitate quam habent in Christo fideles. Scopus ergo Ioannis est ut fideles intelligant Christum esse Dei Sapientiam, Lucem et Vitam hominum, pastorem et episcopum animarum nostrarum, fontem sitientibus et cibum esurientibus, consolatorem in adversis, palmitum vitem, Spiritus Sancti donatorem, denique salvantem, sanatorem, etc. Et suam ipse intentionem explicat c.20, fine, *Haec scripta sunt ut credatis quoniam Iesus est Filius Dei et ut credentes vitam [f.2] habeatis in nomine eius.*

Haec est illa doctrina fidei in Christum quam toties inculcat Paulus et quam omnes viri spirituales tantopere commendant, nam et ad ipsa precepta moralia in quibus alii frustra insudant, haec est via compendiaria, iugum suave et onus leve. Neque hoc est haereticis nostri temporis favere sed potius docere quomodo viva fide adhaerendo Christo ab omni malo declinemus et omnibus bonis cumulate fruamur.

7. Diximus de auctore, materia, et intentione. *De forma et operis partitione* dico duo: *Primum* est Ioannem raro aut numquam ab ordine temporis discedere, et hoc est illi proprium inter Evangelistas, ut in processu operis patebit. *Alterum* est Evangelium hoc commodissime dividi in duas partes, nempe in propositione et explicatione. Prius enim proponit summam rei in ea parte Evangelii quam in fine Missae quotidie recitamus, et postea rem per partes explicatius narrat. Sed dubitabis quomodo absque ulla prefatione rem ipsam aggrediatur. Respondeo id natura duce fieri quandocumque narratur bonum nuntium, tunc enim nihil gratius feceris quam si absque mora rem totam prius brevi annuntiaveris, et postea modum et rationem latius exposueris. Quod vero hoc affectu et sensu Ioannes scripserit patebit explicando titulum qui sic habet.

8. *Evangelium Iesu Christi secundum Ioannem.* Suppono prius ex dictionariis quid significet apud graecos et latinos *evangelium* et in plurali *evangelia* et eandem esse analogiam in hebraica voce בשר, quae significat rem laetam nuntiare, et inde nomen quod significat bonum nuntium transfertur ad significandum praemium quod nuntianti tribuitur, ut patet in Hebraeos, Nomen בשורה (besorah), 2Reg 4,10. ubi nos legimus *qui putabat se prospera nuntiare, cui oportebat mercedem dare pro nuntio* quod alii transferunt ad verbum *qui putabat se evangelizare et cui oportebat dare evangelia.* Deinde dico non semper in Sacra Scriptura has voces ad Evangelium Christi referri, ut patet Naun 1,15, ubi de morte Senacherib, et Hieremia, 20,15, *maledictus vir qui nuntiavit patri meo.* Et 2 Reg 18,22 et 25, et saepe alibi. Dico 2^o meritissime fuisse nomen Evangelii ad Novi Testamenti doctrinam accommodatum per anthonomasiam, ut late explicat Eusebius, *De preparatione evangelica*³⁰, et Origenes³¹ hic. Huius autem accom-

³⁰ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Praeparatio Evangelica*, l.1, c.1. PG 21,23.

³¹ ORIGENES, *Comment. in Ioannis Ev.*, t.1. PG 14,31.

modationis auctor videtur fuisse Christus, ut saepe videre est apud Mt et Mc cuius frasim postea sequuti sunt apostoli et praecipue Paulus.

Sed contendunt aliqui antiquiorem esse eam huius vocis accommodationem quia in Isaia, 52 et 61, et Psalmis 95, adventus Christi eo nomine prophetatur. Dico tamen non bene colligi quod intendunt, quia ex eo quod adventus Christi appelletur felix nuntium non colligitur felicis nuntii nomen absolute prolatum intelligi de adventu Christi. Sicut Hieremias 16 [16], scriptum erat *ego mittam piscatores*, et tamen de novo apostolorum seu messorum nomen adaptatum est eis. Neque video quorsum spectet de antiquiore usu contendere in eis vocabulis quae Christus certis quibusdam rebus appropriavit cum nihil possit gratius in aliqua phrasi excogitari quam eam esse inventam a Christo. Et procul dubio haec nomina *regnum caelorum*, *evangelium*, *apostolus* et alia huiusmodi absolute prolata ante Christi accomodationem non designabant id quod modo designant.

[f.2v]

9. Sed iuxta Christi et Apostolorum usum, quilibet Novi Testamenti concionator appellatur evangelista, ut patet ad Ephesios 4,11, *quosdam... evangelistas*; et 2 ad Tim 4,5, *opus fac evangelistae*; et Act 21 [8], *Philippus unus ex septem diaconis appellatur evangelista*. Unde frustra quidam suspicantur (ut refert Hieronymus in vita Lucae) Paulum, cum dicit *secundum evangelium meum*, ad Rom 1 [2,16], et 2 Tim 2 [8], loqui de Evangelio scripto a Luca, cum planus sensus sit, *secundum evangelium meum*, id est secundum doctrinam Christi et Novi Testamenti quam praedico. Merito tamen Ecclesia peculiariter accommodavit Evangeliorum nomen his quatuor primis Novi Testamenti libris, ut bene tractat Origenes³² hic, et Damascenus in Historia de Barlaam et Iosaphat³³, non longe a principio, quia isti libri tractant historiam Christi, id est eius conversationem, passionem et resurrectionem quae generi humano felicitatem attulere atque adeo merentur antonomastice felicis nuntii nomen. Et sunt qui de quodam istorum librorum existiment Paulum loquutum, 2 Cor 8, cum de Luca dicit *cuius laus est in evangelio*. Habemus ergo quid sibi velit in titulo huius libri evangelii nomen; cum vero additur *Iesu Christi*, dupliciter intelligi potest: 1º, ut auctor huius felicis nuntii sit Christus Iesus; 2º, et melius, sicut Paulus ait ad Romanos (1,3) scilicet *evangelium Dei... de Filio suo*.

(Orígenes en el prólogo compara los Evangelios a los 4 elementos y cábele a S. Juan el fuego por su alteza y calor.)

Sto. Tomás, en su Prologo³⁴ acomoda muy bien a S. Juan en este Evangelio lo que dice Isaías 6 (1s): *vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum et plena erat omnis terra maiestate eius, et ea quae sub ipso erant*

³² ORIGENES, *Comment. In Ioannem*, t.1. PG 14,30.

³³ JOANNES DAMASCENUS, *Vita Barlaam et Josafat*. PG 96,923.

³⁴ THOMAS AQ., *In Ionnis Evangelistam Expositio*, Prologus. Ed. Vivés, t. 19, p.669.

replebant templum. Quia haec dixit Isaias quando vidit gloriam Christi, Ioannes 12 [41]. El vidi Dominum: es lo que dice de su divinidad; et plena erat omnis terra maiestate eius: de su potentia (quia omnia per ipsum); et ea quae sub ipso: id est, sacramenta humanitatis replebant templum: id est fideles, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus. Y este es el fin de este Evangelio: ut credatis, Jn 20 [31].

Aquí dice que se insinúa el nombre de Juan, (Contemplatio alta, ampla, perfecta) quia *quae sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei*; su virginidad, quia *mundi corde videbunt Deum*, Mt 5; que es águila, pues que tanto se levanta, Job 39 [27] *numquid ad praeceptum tuum elevabitur aquila* et postea [29] *et oculi eius de longe prospiciunt*; y que fue dilectus a Christo: *vos autem dixi amicos* Jn 15ss. Pero acaba con un yerro leyendo Job 36 *immanibus*, i.e. superbis, *abscondit lucem et annuntiat de ea amico suo*. Nosti sensum [in manibus].

[f.3]

Caput 1^{um} Ioannis

Lectio 1^a.

In principio erat Verbum.

De horum verborum sensu.

1. Quod ad graecum attinet, pro *Verbo* graece est *ὁ Λόγος*, et articulus designat insigne verbum, ut omnes conveniunt; nomen autem *Λόγος* condemnat Montani explicationem qui vult ut *Verbum* in praesenti accipiatur pro *re*, ut saepe accipitur in Sacra Scriptura quasi diceret *in principio erat illa res omnium realissima*; sed praeter quam quod non cohaeret iste sensus neque deservit Apostoli intentioni, ex gaeca voce tollitur ambiguitas, nomini enim hebraeo *Dabar*, quod in Sacra Scriptura sumitur aliquando pro *verbo* proprie, aliquando pro *re*, duplex correspondet in graeco, nimirum *ῥήμα* et *λόγος*, et *ῥήμα* quidem derivatur a dicendo, *λόγος* autem rationem et considerationem includit, et cum Evangelistae rem significare volunt numquam utuntur nomine *λόγος*, sed voce *ῥήμα*. Ut Mt 4 [4] *non in solo pane vivit homo sed in omni verbo...* ex Deut 8 (3). Lc 1 (37) *non erit impossibile apud Deum omne verbum* et c.2 (15) *videamus hoc verbum*, et denique ubique. Imo Septuaginta etiam religiose observant hoc discrimen, ut Ex 2 (14) *quoniam palam factum est verbum istud*, et c.9 (5s) *cras faciet Dominus verbum istud, fecit ergo Dominus verbum hoc*, et Deut 8 (3). Et saepe alibi.

2. *In principio erat Verbum*. Mirum est quam variant Doctores in modo explicandi haec verba, et quam sint concordantes in assignanda Ioannis intentione. In singulis dictionibus sunt oppositae explicationes tenaciter propugnatae, et nihilominus omnes conveniunt Apostolum in hac propositione significare voluisse aeternitatem Filii Dei, in quo etiam conveniunt omnes ecclesiae proceres.

Vide Basilium³⁵ in homilia super haec verba; Hilarium, 2 de Trinitate³⁶, fere in modo; Naziancenus,³⁷ tractatu de fide, paulo post principium; Ambrosium, 1 De fide, c.5³⁸. Et in praesenti Augustinum³⁹, Cyrillum⁴⁰, Origenes⁴¹, Chrysostomum⁴² et omnes. Et attende aeternitatem Verbi clarius probari ab Augustino⁴³ ex verbis sequentibus *omnia per ipsum facta sunt*, quia non potest incepisse id per quod facta sunt omnia; atque ita non adduxit Doctores in dictam concordiam voluntas confirmandi aeternitatem Verbi et defectum evidentiorum locorum, sed attenda consideratio mentis apostolicae.

3. Prima quidem facie apparet id non posse colligi ex his verbis. 1º, quia ad hoc ut aliquid fuerit in principio mundi satis est ut in ipso principio creatum sit. 2º, quia nihil prohibet ut in nomine *principii* intelligamus principium temporis, et tamen Cyrillus⁴⁴, Jansenius⁴⁵ et Titelmanus trepidant ita intelligere ne Filius Dei intelligatur esse temporalis; ergo saltem iste locus non valet ad probandam eius aeternitatem. 3º, quia potuit aliquid creari a Deo ante principium mundi, sicut nonnulli ex Patribus existimarunt Angelos multo ante coelum et terram creatos esse. Ergo non necesse est fuisse ab aeterno quod erat in principio mundi. His non obstantibus meo iudicio non collimabit qui discesserit in hoc a communi sententia sed ante probationem subiiciamus varias Doctorum explicandi *rationes*.

[f.3v]

4. Prima est *in principio erat Verbum*, id est *in Patre erat semper Filius*. Ita Origenes⁴⁶, Cyrillus⁴⁷, Augustinus, 6 de Trinitate c.2⁴⁸, Beda⁴⁹, Glossae⁵⁰, Lyra⁵¹

³⁵ BASILIUS, *Homil. In illud In principio erat Verbum*. PG31,474.

³⁶ HILARIUS, *2 De Trinitate*, PL 10,60.

³⁷ GREGORIUS NAZIANCENUS, PG 73,675, remite a FEBADIO, *De Fide orthodoxa contra arianos*, PL 20. PL 20,675s.

³⁸ AMBROSIIUS, *De Fide ad Gratianum libri quinque*, 1.1, c.5. PL 16,536.

³⁹ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evang. Tractatus 124*, tr.1, PL35,1381.

⁴⁰ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev. Liber 1*, c.1. PG 73, 23s.

⁴¹ ORIGENES, *Comment. In Ev. Ioannis*, t.1. PG 14,55s.

⁴² IOANNES CHRISOSTOMUS, *In Ioannem homil. 3*. PG 59,39.

⁴³ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium tract.1*, n.12. PL 35,1385.

⁴⁴ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, 1.1, c.1. PG 73,26.

⁴⁵ CORNELII IANSENII EPISCOPI GANDAVENTIS, *Commentariorum in suam Concordiam ac totam Historiam Evangelicam*. Lion 1580, p.3, col.2, D.

⁴⁶ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.1. PG 14,55.

⁴⁷ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, 1.1, c.1. PG 73,26

⁴⁸ AUGUSTINUS, *6 De Trinitate*, c.2. PL 42,925.

⁴⁹ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,438.

⁵⁰ WALAFRIDI STRABI, *Glossa ordinaria, Ev. Sec Ioannem*, c.1.PL114,356.

⁵¹ NICOLAUS DE LYRA, O.F., (m.1340). *Postillae perpetuae sive brevia commentaria*

et S. Thomas⁵². Facit pro hac loquutione id Ioannis 14 [10] *ego in Patre et Pater in Me est*, et aptissime Pater explicatur nomine Principii. Atque id confirmat Cyrillus ex Ps 109 [3]⁵³ *tecum principium in die virtutis tuae*: exponit enim: *Tecum, o Christe, erit Pater in die iudicii*, sicut etiam *Dominus a dextris tuis*. Verum Titeltamus et Arboreus aiunt hanc expositionem non esse satis aptam huic loco, quia si iam dictum erat Filium esse in Patre, quorsum addendum erat *et Verbum erat apud Deum* repetendum *hoc erat in principio apud Deum* quasi diceret hoc erat in Patre apud Patrem. Sed de hoc lectione 4, n^o3.

5. 2^a expositio: *in principio erat Verbum*, id est, ante omnia erat atque adeo ab aeterno erat. Ita Augustinus, 6 De Trinitate, c.2⁵⁴; Hilarius, 7 De Trinitate⁵⁵, Basilius⁵⁶, Chrysostomus⁵⁷, Euthymius⁵⁸, Theofilactus⁵⁹ et Beda⁶⁰. Et nota similiter explicari quod dicitur *In principio fecit Deus coelum et terram*, id est, ante omnia fecit Deus coelum et terram. Sed *factum esse ante omnia* est temporalium, *fuisse ante omnia* non nisi aeternorum, unde aeternitas non significatur in illa solum particula *in principio* sed in eo quod est *fuisse in principio et ante omnia*. Probant hanc expositionem ex 1 In 1, ubi in eadem significatione dicitur de eodem Verbo *quod fuit ab initio*; et Prov 8 [22] *dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret a principio* et explicatur statim *ab aeterno ordinata sum*. Et Eccli 24 [14] *ab initio et ante saecula creata sum*. Michaeas 5 [2]⁶¹ *ab initio, a diebus aeternitatis* ubi Hieronymus *ab initio, antequam quidquam fieret*. Facit ille versus *sicut erat in principio et nunc et semper et in saecula*.

6. 3^a explicatio: *in principio mundi iam erat Verbum* et quando creaturae coeperunt esse vel quando coeperunt tempora non incepit Verbum sed *iam erat*. Ita Rupertus interim⁶², Montanus et multi, nitentes propriae significationi praeteriti imperfecti. De qua D.Thomas⁶³ hic notat de Verbo aeterno dictum

in universam Bibliam.

⁵² THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Expos.*, c.1. Ed. Vivès, t.19, p.684.

⁵³ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.1. PG 73,27.

⁵⁴ AUGUSTINUS, *De Trinitate*, l.6, c.2. PL 44,925.

⁵⁵ HILARIUS, *De Trinitate*, l.7. PL 10,208.

⁵⁶ BASILIUS, *Homil. In illud In principio erat Verbum*. PG 31,475.

⁵⁷ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem, homil. 3*. PG 59,40.

⁵⁸ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1110.

⁵⁹ THEOFILACTUS, *Enarratio in Ev.Ioannis*, c.1. PG 123,1137.

⁶⁰ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,638.

⁶¹ HIERONYMUS, *In Michaeam*, c.2, v.2. PL 25,1254.

⁶² RUPERTUS TUITIENSIS, *In Evangelium S. Ioannis Commentariorum libri XIV*, l.1. PL 169,207.

⁶³ THOMAS AQ., *In Ev. Ioannis Expositio*, Lectio 3. Ed. Vivès, t.19, p.699.

fuisse *erat* de Ioanne Baptista *fuit homo* etc. sed de Ioanne postea. De proprietate vero praeteriti imperfecti non videtur adeo curandum, tum quia illa est minus solida quam subtilis, tum quia constat in verbo substantivo non esse discrimen in graeco praeteriti perfecti et imperfecti, sicut numquam est in hebraeo. Atque ita, 1 Jn 1, transfertur *quod fuit ab initio*, et saepe de aeternis in Sacra Scriptura est sermo per praeteritum perfectum, ut Prov 8 [24] *ab aeterno ordinata sum*; Eccli 24[5] *ex ore altissimi prodivi*; Ps 109 [3] *ante luciferum genui te*. Imo Cyprianus, 1.2 Adversus iudaeos, c.5⁶⁴ legit *in principio fuit Verbum*. Sicut contra Ambrosius, 1 De Fide, c.5, illud 1 Jn 1 legit *ipse quod erat ab initio*⁶⁵. Itaque parum refert quod legatur *fuit* vel *erat*, nam ex vi praeteriti imperfecti nihil habemus solidum ad aeternitatem. Sed ait quidam utrovis modo legatur praeteritum ex phrasi Sacrae Scripturae adhiberi in aeternis ut patet ex supra dictis. Respondebit tamen alius etiam adhiberi praeteritum in temporalibus et maxime quando notatur tempus sicut hic videtur notari cum dicitur *in principio*.

7. Alias expositiones tanquam minus probabiles relinquo, ut illam Origenis in principio, id est *in sapientia*⁶⁶; et illam Hugonis *in principio*, id est *in ratione principii* erat Verbum una cum Patre, et idem cum Patre ad productionem Spiritus Sancti et creaturarum. Sed neque in aliqua ex tribus supra dictis plane acquiescit animus quia prima et tertia non carent scrupulis, ut vidimus; secunda vero quamvis habeat pro se Sacrae Scripturae phrasim videtur tamen recedere a plana et simplici *principii* significatione et a principio mundi fugere, quod procul dubio respexit Ioannes. Salva igitur reverentia tantorum doctorum subiiciam id quod mihi occurrit in huius loci explicatione in quo tamen abest ut affectem novitatem, ut potius adhaeream libri Geneseos antiquitati et omnino studeam id promere quod antiquorum dictis consonet, et eorum si non expressam saltem implicitam mentem expediat.

[f.4]

8. Dico ergo 1^o, negari non posse quin Ioannes ad principium Geneseos respexerit, ut omnes fere interpretes fatentur. Dico 2^o in illo Geneseos primo capite inveniri Verbum Dei et principium rerum creaturarum ita inter se comparata ut Verbum Dei sit causa omnibus rerum principiiis, atque ita toties repetitur *dixit Deus fiat et factum est*. Dico 3^o manifeste Ioannem docere illud Verbum Dei per quod omnia facta sunt esse Filium Dei. Quare deveniendo ad primam propositionem in qua secundum omnes agitur de eius Verbi aeternitate. Dico 4^o Ioannem ex Genesi argumentari quasi diceret in principio cuiusvis rei, quantumvis antiquae, invenimus Verbum Dei tanquam id a quo dependet pro-

⁶⁴ CYPRIANUS, *Testimonium adversus iudaeos*, 1.2, c.6. PL 4,730.

⁶⁵ AMBROSIIUS, *De Fide*, 1.1, c.5. PL 16,541.

⁶⁶ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.1. PG 14,51.54.

ductio rei. (*Cum eo erat cuncta componens* [Prov 8,30]). Ergo ipsum Verbum Dei non est *factum* sed ab aeterno productum a Deo. Itaque quando dicitur *in principio erat Verbum*, nomine principii intelligitur principium mundi vel durationis vel temporis, et denique principium sive *primum esse* cuiusvis creaturae, et quando dicitur *erat* vel *fuit* intellige (ut constat ex Genesi et ut Ioannes statim explicat) tanquam id quo unaquaeque res indigebat ad sui principium, atque ita manifeste videbis Verbum Dei esse aeternum quia praesupponitur cuivis rerum principio. (Deus in omnibus per praesentiam, etc. et fortasse illud *Sum qui sum*, la fuente del ser, el que doy ser, etc.) Dicitur ergo Verbum fuisse in principio cuiusvis rei eo modo quo dicitur causam esse in effectu. Sic ergo *in principio erat Verbum* et clarius quidem erat ad omne principium fuisse opus Verbo, sed opere pretium fuit retinere primam Geneseos vocem, et idem significatur dicendo in omni principio erat seu potius *aderat* Verbum. Et phrasid est nota in Sacra Scriptura quum ablativus cum praepositione *in* habeat vim acusativi, ut Ad Rom 2 [5] *in die irae*, id est *in diem irae*. Perpende igitur quam sit consentaneum ut acturus Ioannes de Verbo Dei eius antiquitatem ab ipso Sacrae Scripturae primordio deducat et dicat in rerum creaturarum principio adfuisse tanquam causam Verbum quoddam, ut patet ex Genesi, et illud Verbum necessario fuisse apud Deum atque adeo ipsum Verbum esse Deum, quia nihil est in Deo quod non sit Deus. Itaque hoc Verbum quod est Deus apud Deum, *aderat* cuivis rerum principio, quia per ipsum omnia dicuntur facta et sine ipso nihil est factum, etc. Hoc videtur esse filium orationis.

9. Ex dictis iam facile patet ad argumenta supra posita § 3, nam 1^{um} procedit de eo quod in principio mundi habuit esse utcumque, et sermo est de eo quod fuit in principio tanquam causa in effectu, ut patet in c.1 Geneseos. Ad 2^{um}, nescio cur trepidant illi doctores, quia *fuisse in principio temporis* non est *incepisse*; et praesertim fuisse *ut causam*. Ad 3^{um}, dato quod aliquid creatum fuisset ante principium mundi, necessario creatum fuisset eodem modo quo mundus, nimirum per Verbum Dei, atque ita quod fuit in principio mundi tanquam causa, similiter fuisset in principio cuiusvis rei, unde evidens est ipsum non incepisse.

10. Ex correspondentia horum duorum locorum, scilicet *in principio creavit Deus* et *in principio erat Verbum* colliguntur duo: primum est in Genesi non posse explicari *in principio*, id est *in Filio*, ut bene probat Jansenius⁶⁷. Alterum est, quamvis *Logos* multa significet, in praesenti tamen nec accipiendum esse de verbo. Λόγος quidem, (ut ait Hieronymus in epistula ad Paulinum et patet ex usu graecorum) significat *rationem*, item *definitionem*, item *supputationem*, item *essentiam rei*, et omnia haec nomina aliquo modo conveniunt Filio Dei, ut

⁶⁷ CORNELIUS JANSENS, *Commentariorum in suam Concordiam*, Lion 1580, p.4.

Hieronymus⁶⁸ ibi docet, et Euthymius⁶⁹ hic, sed quia quod in praesenti dicitur in principio erat Λόγος, ex Genesi desumptum est⁷⁰; ideo, relictis aliis significationibus, ad eam solum attendimus quae congruit cum verbis Geneseos ubi toties habetur *dixit Deus fiat et factum est*, atqui idem est *verbum* et *dictum*. Et confirmat nostram explicationem Augustinus, 1.83, q.63⁷¹, ubi inquitur cur potius vertamus *verbum* quam *rationem*, cum *logos* utrumque significet, et respondet quia ratio recte dicitur ratio etiamsi per eam nihil fiat; *verbum* autem includit respectum ad ea quae facta sunt per ipsum operativa potentia. Vide etiam [f.4v] quae docet D. Thomas hic de respectu quod *Verbum* includit ad creaturas⁷², 1p, q.34, a.3. Intererat autem Evangelistae hunc respectum ad creaturas exprimere, quoniam volebat ostendere *Verbum* non esse creaturam sed causam omnium creaturarum.

11. Ex eadem correspondentia et explicatione facile explicatur ratio articulorum graecorum. Pro quo nota Λόγον in praesenti capite semper esse cum articulo, θεός vero, id est Deus, habet articulum cum dicitur *et Verbum erat apud Deum*, et caret articulo cum dicitur *et Deus erat Verbum*, quod ut clarius appareat nescientibus graece reddam hispanam orationem cum suis articulis: En el principio del mundo se halló la Palabra y la Palabra estaba en el Dios, y por tanto la Palabra era Dios. Dico contra interpretationem Origenis; sed quid de Hieronymo que [qui eum] adducit? Hinc argumentantur arriani (quibus aperte favet Origenes⁷³ hic:) Deus, apud quem erat [f.5] *Verbum*, est Pater, et *Verbum* est Filius; ergo Deus cum articulo tribuitur Patri, et Deus sine articulo tribuitur Filio; ergo Filius est minor Patre, cum articulus denotet excellentiam. Respondent catholici, saepe in Sacra Scriptura non addi articulum ubi de summo Deo constat esse sermonem, ut, videlicet in hoc eodem capite *fuit homo missus a Deo* et *Deum nemo vidit unquam*, et c.4 *spiritus est Deus* et ad Rom 1 *gratia vobis et pax a Deo Patre*. Omnibus his locis id notat eleganter Chrysostomus⁷⁴. Et ad Philipenses 2, *cum in forma Dei esset*, et saepe alibi.

Sed dicet fortasse haereticus, ei cui nomen aliquod tribuitur per excellentiam et cum articulo, bene posse sine articulo simpliciter tribui nomen idem (porque quien es el duque también es duque, y quien es el apóstol también es apóstol). Sed hoc interesesse quod numquam tribuitur Christo nomen Dei cum articulo. Hoc etiam esse falsum probant catholici ex D. Thoma Apostolo, Jn 20

⁶⁸ HIERONYMUS, *Epistula ad Paulinum*. PL 22,543.

⁶⁹ EUTIMIUS, *Comment. in Ioannem*, c.1. 129,1110.

⁷⁰ HIERONYMUS, *Liber hebraicarum quaest. in Genesim* PL 23987.

⁷¹ AUGUSTINUS, *De diversis quaestionibus LXXXIII*, q.53. PL 40,54.

⁷² THOMAS AQ., 1p., q.34, a.3. Ed. Vivès, t.1, p.237.

⁷³ ORIGENES, *Comment. In Ev. Ioannis*, t.2. PG 14, 107.

⁷⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.4*. PG 59,50.

[28], *Dominus meus et Deus meus*, (de Sto. Thomas dice el Evangelio que dijo a Nuestro Redentor el Señor mío, el Dios mío, ubi non est locus exclamationis) et 1 Jn ultimo *hic est verus Deus*, et ad Romanos 9 [5] *qui est super omnia Deus benedictus*, et ad Titum 2 [11] *magni Dei et Salvatoris nostri Iesu Christi, τοῦ μεγάλου θεοῦ και Σωτήρος ημῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*. (Del gran Dios y Salvador: no dice del gran Dios y del Salvador.

In omnibus his locis non possunt haeretici articulum neque veritatem et magnitudinem divinitatis negare, sed conantur eludere argumenti vim fingentes aliter exponi posse ut nomen Dei non designet Christum sed eius Patrem. Quia nihil prohibet Thomam et Paulum loquentes cum Christo vel de Christo ad eius Patrem exclamare *o Deus meus* aut *benedictus sit Deus Pater*. Deinde cum Ioannes ait in sua canonca [5,20] *Christus dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius* (καὶ εσμεν, *et sumus* quod videtur non praeberere tergiversationi locum) et addit *hic est verus Deus et vita aeterna*, exponunt applicando singula singulis quasi diceret docuit nos Patrem esse Deum et adhaerere Filio esse vitam; hic Deus quem ille docet est verus Deus, et vita quam docet est vita aeterna, sive esse in Christo est vita aeterna. Et pro hac explicatione videtur facere quod verus Deus manifeste primum ponitur pro Patre cum ait ut cognoscamus verum Deum. Tandem quod dicitur ad Titum 2 [13], *ut expectemus adventum magni Dei et Salvatoris* perinde esse dicunt ac si diceret expectemus adventum Patris et Filii, et facit quod Ps 109 [5] significatur Pater cum Filio venturus, *Dominus a dextris tuis confregit in die irae suae reges*, quod de die iudicii exponunt omnes.

12. *Dico 1^o* in hac tergiversatione et quasi Arrianorum patrocínio non magnam gloriam consequutum esse Erasmum, de quo late Torres, De Trinitate, ar.1, neque huius loci est contra protervos de horum locorum intelligentia disputare. *Dico 2^o* negari non posse quin Baruch 3,36 Christus appelletur Deus cum articulo, ubi dicitur *hic est Deus noster, ὁ Θεος ημῶν* et sequitur *post haec in terris visus est* etc. *Dico 3^o* divinitatis excellentiam multo evidentius probari per consortis negationem quam per articuli appositionem nam evidentius favet alicui principi qui dicit no hay otro duque sino fulano quam si diceret fulano es el duque. Unde supervacaneum est articulos quaerere et eorum vim expendere, cum de Christo aperte dicat Baruch c.3 [36] *hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum*. Et Esaias c.45 [15] non solum ait *vere tu es Deus absconditus Deus Israel salvator*, sed etiam [14] *non est absque te Deus*. Vide ibi Hieronymum⁷⁵ argumentantem contra eos qui de Cyro interpretantur, quamvis aliter exponat Foreirus⁷⁶, sed saltem de Baruch testimonio nulla potest esse controversia. Et omitto hic loca in quibus Christus appellatur Jehová.

⁷⁵ HIERONYMUS, *Commentar. In Isaiam prophetam*, c.45. PL 24,463.

⁷⁶ FRANCISCO DE FOREIRO, O.P.

[f.5v]

13. *Dico 4^o* *emphasim* articulorum aliquando esse evidentem, ut in illa Petri confessione *Tu es Christus Filius Dei vivi* [Mt 16,16], ubi praeter morem quatuor multiplicantur articuli in hunc modum: Tú eres el Cristo, el Hijo de el Dios, el Vivo. Sed aliquando apparet adhiberi articulum sine aliqua energia ut si dicas el Duque de Arcos leyó la carta del asistente; adhuc tamen si res bene perpendatur invenies raro aut numquam apponi articulo sine implicita negatione consortis aut sine designatione alicuius certae et cognitae rei, nam in ipso supra posito exemplo non diceremus el Duque de Arcos si hubiera muchos Duques de Arcos neque diceremus la carta si posset de pluribus intelligi. Sic etiam el paje de D.Juan designat eum esse unicum tantum. Et hinc est ut articulus appositus ei nomini quod pluribus convenit efficiat anthonomasiam, ut el Apóstol, por S. Pablo, quamvis saepe huiusmodi loquendi ratio non tam denotet excellentiam quam alicuius certae rei designationem ut *dadme el libro*, illum scilicet quem tibi tradidi. Ya salió el maestro, scilicet, el que había de salir ahora. Iuxta haec videndum est quando Sacra Scriptura Patrem appellat Deum cum articulo an articulus contineat excellentiam aut singularitatem aut rei cognitae designationem.

Annotationem de articulis graecis vide in Epiphanio apud Bellarminum de Papa, libro 3, c.2, loco 2^{o77}.

14. *Dico 5^o* quamlibet Personam divinam merito appellari Deum cum articulo per anthonomasiam et distinctionem a falsis diis et a diis secundum quid, et quia iste titulus denotat unitatem et singularitatem et tribuitur seorsum Patri et seorsum Filio ut supra patet. Sequitur evidenter Patrem et Filium esse unicummet Deum. Sed insurgit Arianus et ait cur Ioannes simul de utroque loquendo et quasi comparando eos inter se Patrem appellat τὸν Deum, Filium simpliciter Deum. Respondeo: articulum in Verbo quando ait ὁ Λόγος, id est la Palabra, manifeste designare (ut ex dictis patet) illud verbum *fiat* quod in Genesi toties inculcatur et consequenter articulus in Deo designat illum Deum qui dixit *fiat*, id est prolatorem illius verbi *fiat*, nimirum Patrem; unde si diceret Verbum esse illum Deum confunderet Personas cum potius vellet distinguere Verbum a Producente. Similiter dico τὸν Λόγον non dici tam per excellentiam quanto per designationem. Verdad es que es excelentísimo, pero quando el artículo señala no es menester bucarle más misterio.

Unde *dico 6^o*: articulus in Deo non denotat excellentiam in praesenti respectu Verbi sed solum denotat Prolatorem. Et probó evidenter quia potius hinc aperte colligitur summa unitas in divinitate inter Prolatorem et Verbum, pro quo nota arrianos non posse intelligere Verbum tanquam proprium loquen-

⁷⁷ ROBERTUS BELLARMINO, *De Summo Pontifice* l.3, c.2. Ed. Vivès 1870, t.2. p.8.

tis Verbum, quia cum faciant Verbum alterius naturae personam, non possunt informare quomodo ipsum sit propria loquela Dei Patris, sed appellant verbum metaphorice, id est interpretem et veluti imperatorem et factorem eorum quae vult Pater, non tamen eius propriam loquelam. [f.6] quia duae personae diversarum naturarum si ambae sunt intelligentes, singulae habent diversas intellectiones sive loquelas, atque ita ponebant Deum, antequam produceret Filium (nam apud eos erat quando non erat Filius), ponebant inquam Deum proculdubio se ipsum intelligentem; si tamen ipsa intellectio sive loquela Dei Patris ponatur esse Verbum, nemo quantumvis caecus negaverit aequalitatem in divinitate, quia evidens est quidquid est proprie in Deo, id est, eius sapientiam, voluntatem, etc. esse unicum et simplicissimum Deum. Quare si semel animadvertamus Ioannem loqui de Verbo proprie dicto, id est de ipsa loquela Dei, ut ex eius verbis patet, non opus erit ab eo exigere ut magis explicet aequalitatem quia neque arianus negat loquelam Dei, id est illud *fiat* quod in Genesi explicatur, et denique actum divini intellectus, esse verum Deum et *autotheon*, ut Origenes⁷⁸ loquitur.

15. Habemus iam quomodo non solum stet cum naturae identitate quod Pater appelletur el Dios, et Filius simpliciter Deus, sed etiam quomodo ipsa identitas naturae ea ratione explicetur, cum colligatur Filium esse Deum ex eo quod est in illo Deo tanquam verbum in prolatore, sive tanquam loquelam in loquente.

Sed adhuc *quaeret* quis cur in Sacra Scriptura toties Patri apponitur articulus et tam raro Filio. *Respondeo* duplicem posse reddi rationem sufficientem, quamvis Pater appellaretur semper Deus cum articulo, Filius vero numquam: 1^a *ratio* est quia persona Patris semper fuit cognita: quanvis enim non cognosceretur qua ratione habet Filium, cognoscebatur tamen Deus quidem ingenitus a quo caetera omnia habent esse, et haec est prima notio Patris, et hinc est ut articulus designet Patrem tanquam personam cognitam, Filium vero non, quia nulla propria eius notio habebatur communiter. Ad aequalitatem vero significandam satis est quod appellaretur cum articulo verus et unigenitus Filius Dei et eius propria loquela sive sapientia, ut ex dictis patet. 2^a *ratio* est quia una cum summa aequalitate stat illa dignitas in nomine Patris et in ratione fontis, propter quam graeci communiter id Ioannis 14 [28] *Pater maior me est* in divina etiam substantia interpretantur ut Basilius 1.4 contra Eunomium⁷⁹; Hilarius 11 De Trinitate⁸⁰, f.225; Concilium Sarvicense, c.17, ut refert Hilarius, libro de Synodis⁸¹, et propter has etiam duas rationes nomen Dei in Sacra

⁷⁸ ORIGENES, *Comment. in Ioannis Ev.*, t.2. PG 14,110.

⁷⁹ BASILIUS, *Adversus Eunomium* 1.4. PG 29,694s.

⁸⁰ HILARIUS, *11 De Trinitate*. PL 10,407.

⁸¹ HILARIUS, *De Synodis seu de fide orientalium*. PL 10,537.

Scriptura frequentius designat Patrem, et nome Domini appropriatur Filio, ne videantur Hypostases confundi, quamvis etiam utrumque nomen totam beatam Trinitatem complectatur.

16. Diximus de articulorum vi, et de Origenis errore et denique de sensu Ioannis et de nostra lectione quae non transfert *rationem* sed *Verbum*. Superest videre quid dicendum sit de versione Erasmi⁸² quae sic habetur: *in principio erat sermo*, etc [[f.4v]] Et Arboreus ait nihil referre an Filius Dei Verbum dicatur aut sermo, sed in Musaeo (inquit) tu dic *in principio erat sermo*, in Ecclesia vero *in principio erat Verbum*. Erasmus quidem in *Apologia*⁸³ contendit vim graeci nominis magis exprimi *sermone* quam *verbo*, et adducit Patrum testimonia quae Christum vocant sermonem Dei. Hilarius saepe in libris De Trinitate; Hieronymus, Esaias 11, in principio⁸⁴; Cyprianus, 1.2 Contra iudaeos, c.3⁸⁵, hanc ponit inscriptionem: *quia Christus idem sit sermo Dei*; et adducit multa Sacrae Scripturae loca in quibus suo tempore legebatur sermo, ut Ps 32 [6] *sermone Domini caeli firmati sunt*, et 44 [2] *eructavit cor meum sermonem bonum*, et 106 [20] *misit sermonem suum*, et Isaias 10 *sermonem breuiatum faciet Deus [Ro 9,28]* et quod olim legeretur in Evangelio *in principio erat sermo* constat ex Cypriano 2 Contra Iudaeos, c.5; et ex Augustino, Tract.108 In Ioannem⁸⁶, ubi ait *iden esse verbum et sermonem*. Jn 17 [17] *sermo tuus veritas est*. Et in Vulgata Sap 18 [15] appellatur Filius Dei *sermo*, ubi etiam ponitur in graeco Λόγος cum articulo; et canitur ab Ecclesia in officio infra octavam Nativitatis. Vide etiam Sap 16 [12] *sed tuus Domine sermo qui sanat* et infra [16,26] *sermo tuus*. Eccl 8 [4] *sermo illius potestate plenus est*.

Dico 1° Filium Dei recte dici *sermonem* maxime postquam factus est Homo, quia prius erat Verbum interius et factum est veluti vocale per incarnationem. *Dico 2°* multo aptius appellari *Verbum* quam sermonem propter optimas rationes quas adducit Jansenius: lege apud illum⁸⁷ et vide quam bene probet Filium Dei a similitudine potius verbi mentalis quam vocalis appellatum esse λόγος; atqui *sermo* fere non dicitur nisi vocalis aut relatus ad vocalem ut quando secum homo tacite loquitur latine vel hispanice. Sed ut bene ait Augustinus *quisquis potest intelligere verbum non solum antequam sonet, verum etiam antequam imagines vocum cogitatione volvat, iste propius accedit ad videndam aliquam verbi illius*

⁸² DESIDERII ERASMI, *Paraphrasis in Ev. Ioannis*, c.1, v.3. Lugduni 1706, t.7, col.499.

⁸³ D. ERASMI, *Apologia de «In principio erat sermo»*. Lugduni 1706, t.9, col. 114ss.

⁸⁴ HIERONYMUS, *Comment. in Isaiam Prophetam*, c.11. PL 24,149.

⁸⁵ CYPRIANUS, *Testimonium adversus iudaeos*, 1.2, c.3. PL 4,726.

⁸⁶ AUGUSTINUS *Tract.108 in Ioannem*. PL 35, 1915.

⁸⁷ CORNELIUS JANSSENS, *Comment. In suam Concordiam*, c.1. Lion 1580, p.3.

*similitudinem*⁸⁸, de quo latius postea. *Dico 3^o* contra Erasmmum esse omnia fere loca quae adducit, nam propterea exclusum est nomen *sermonis* quia erat minus aptum quam nomen *Verbi*, praesertim cum Hieronymus dicat in *Praefatione Evangeliorum ad Damasum*⁸⁹ se non correxisse nisi ea quae videbantur sensum mutare, et tamen correxit hoc. De loco Sapientiae Jansenius, Hugo et Rabanus⁹⁰ dicunt ibi non esse sermonem de Christo nisi in sensu spirituali nam literalis sensus est de praecepto Dei mittentis angelum ut interficeret primogenitos egyp-tiorum. Quod si melius cum Dionysio eam cedem ibi ad litteram tribui Filio Dei et eum dici descendisse per angelum vel virtutem suam ut in illa Israelis liberatione nostram redemptionem designaret, fateor in eo loco aptissimum esse nomen *sermonis* propter illam veluti exteriorem manifestationem suae virtutis per miracula et plures veluti voces. Sed in praesenti agit Ioannes de eo quod apud se dixit Deus ante mundi creationem atque ita melius habet nomen Verbi utpote simplicius et abstractius, et propterea nostra translatio sapienter raro utitur nomine sermonis, et toties nomine verbi.

[f.6]

17. Haec de prima lectione in qua habemus Verbum divinum per quod omnia fiunt esse in Deo et esse Deum et consequenter eius aeternitatem.etc.

[f.6v]

Lectio 2^a

Quomodo consentiant ea quae Ioannes docet cum recepta theologia in scholis

1. Saepe dictum est in prima lectione per λόγος in praesenti designari illud *fiat* quod Genesi 1 habetur, et prolatorem illius Verbi esse Patrem, et ipsum Verbum esse Filium. Haec *tamen* doctrina non videtur cum recepta theologia cohaerere. 1^o: quia illud *fiat* est dictum a tota Trinitate; ergo non est dictum singulariter a Patre. Probo antecedens: quia certum est actiones ad extra esse communes tribus Personis; sed Deus creavit dicendo *fiat*; ergo tres Personae dixerunt *fiat*; ergo illud verbum non est magis Filius quam Spiritus Sanctus vel etiam Pater. 2^o: illud *fiat* continet imperium Dei, sed non est certum an imperium sit actus intellectus aut voluntatis; ergo non bene explicatur Filius Dei per illud *fiat*. Probatur consequentia quia Filius Dei procedit per actum intellectus atque adeo non debet explicari per actum de quo dubitatur an sit intellectus vel voluntatis. 3^o: quamvis esset actus intellectus, nihilominus est

⁸⁸ AUGUSTINUS, *6 De Trinitate*, c.10. PL 44, 1071.

⁸⁹ HIERONYMUS, *Praefatio in Quatuor Evangelia ad Damasum*. PL 29,559.

⁹⁰ RABANUS MAURUS, *Comment. In Librum Sapientiae*, cc.18,16. PL109, 756,747.

actus liber; sed non satis constat an actus liberi ponant aliquid formaliter in Deo vel solum extrinsecam terminationem; ergo per eos non bene explicatur Filius Dei, huiusmodi enim extrinseca terminatio neque est propria Filio neque eum declarat. 4^o: quamvis actus liberi dicant aliquid formaliter in Deo, nihilominus ea formalitas est posterior processionibus divinis et mysterio Trinitatis, atque ita Personae divinae non procedunt per eas actiones, quia non dependent ullo modo ab illis, alioqui Deo nolente mundum creare non procederet Spiritus Sanctus, quod est stultissimum; ergo Pater non generavit dicendo *fiat mundus*. 5^o: si Filius generaretur a Deo dicente *fiat*, Spiritus Sanctus produceretur a Deo eligente atque adeo perturbaretur ordo divinarum Personarum, nam prior est electio libera quam actus intellectus qui eam consequitur, et quamvis scientia visionis a quibusdam ponatur quodammodo prior electione, tamen id non habet locum in imperio intellectus qui omnino consequitur electionem. –6^o: illud *fiat* non habet pro obiecto Deum neque est imago Patris; ergo non debet appropriari Filio, quem recepta theologia facit non solum Verbum Dei, id est a Deo prolatum, sed etiam Verbum Dei obiective, id est quod habet pro obiecto Deum, atque ita est imago Dei et figura substantiae eius.

2. *Dico 1^o* has omnes argutias non procedere solum contra me sed etiam contra receptissimam Scripturae philosophiam. Nam fere omnes Ecclesiae Patres mysterium Trinitatis colligunt ex iis verbis Sacrae Scripturae in quibus dicitur Deum solo Verbo creasse omnia et sui oris halitu vivificasse, ut ex Ps 32,6 *Verbo Domini caeli firmati sunt et spiritu oris eius* etc. et tamen firmati sunt per illud verbum *fiat*. Ps 103 [24] *omnia in sapientia fecisti* etc. Ad Hebraeos, 11 [3] *fide intelligimus aptata esse saecula Verbo Dei*. Et eadem plane est Ioannis Apostoli philosophia [f.7] dum ait *omnia per ipsum facta sunt*, respiciens proculdubio ad principium Genesis. Unde enim colligit Deum per suum Verbum omnia fecisse nisi quia ibi dicitur *dixit Deus fiat et factum est?* Et alioqui cur magis per Verbum quam per Spiritum Sanctum? Respondent quia Sapientia appropriatur Filio et consequenter ea omnia quae includuntur in Sapientia, id est omnia verba Dei, sicut potentia appropriatur Patri, et amor Spiritui Sancto. Tunc ego si haec ratio satis fuit Apostolis et Ecclesiae Patribus ut sic loquerentur, mihi etiam satis erit ad similem philosophiam, sed fortasse non omnibus satisfacit quia non omnes satis intelligunt huius appropriationis fundamentum aut non omnes facile possunt expedire se ab obiectionibus praedictis.

3. *Dico 2^o* maius esse fundamentum ut Sapientia apropietur Filio et Amor Spiritui Sancto quam ut Potentia Patri, quia ex propria ratione potentiae non colligitur persona Patris sicut ex propria ratione Sapientiae necessario colligitur persona Verbi, id est, distinctio inter producentem atque productum. Et quod dico de Sapientia eodem modo intelligitur de interiori loquela, quia Sapientia nihil aliud est nisi quaedam perfecta et spiritualis loquela. Nota ergo quod

quamvis ratio naturalis non attingat mysterium Trinitatis attingit tamen difficultatem quam ipsa nescit solvere, et vere non solvitur nisi per fidem huius mysterii. Nam considerando divinam simplicitatem apparebat nullam in eo posse inveniri distinctionem, quia quo simplicius bonum, eo melius caeteris paribus; et nihilominus considerata Dei Sapientia apparebat nulla ratione intelligi posse quomodo aliquis sit actu sapiens sine actu elicito atque adeo sine distinctione, quia sapere intrinsece est actus vitalis atque adeo videtur necessarium ut producat ab eo in quo est, neque enim ego dicar loqui aut ambulare nisi ipse producam meam loquelam, etc; atqui productio necessario includit distinctionem. Nesciret ergo ratio quo se verteret pari fere difficultate utrinque se obiiciente, nisi accedente fide doceretur vere quidem Deum suam produxisse sapientiam atque adeo vere distingui realiter inter se producentem sapientiam a sapientia producta, sed non manere distinctionem in ratione sapientiae absoluta quia ea necessario includitur in communi et indivisa divinitate tanquam perfectio simpliciter simplex. Solum ergo manere distinctionem inter relationem producentis atque producti, ita tamen ut in utraque includatur eadem divinitas cum omnimoda perfectione.

Ex his intelligitur quomodo Pater tribuat esse Filio, et nihil habeat Filius nisi a Patre, et quomodo Pater vere sit sapiens per sapientiam productam, et nihilominus in sua etiam relatione et proprietate includat sapientiam in eo quod est Deus.

An Pater proprie intelligatur sapiens antequam generet Sapientiam. *Respondeo*: Spiritus Sanctus est sapiens et non generat. Unde «*est prius*», id est «*a quo*», non valet consequentia, sed sunt simul natura, quia bene valet: est aliqua persona sapiens ergo generatur sapientia, etc.

Ex dictis etiam constat quomodo Filius habeat esse Deum ex eo quod producitur a Deo et in Deo, et habeat esse Sapientiam ex propria ratione talis productionis etiamsi abstrahatur a divinitate. Et propterea apropiatur ei nomen Sapientiae, Verbi, imaginis Dei, etc. Et nota *haec nomina* dupliciter posse usurpari: 1^o, ut solum dicunt quae sunt propria cognitionis respectu obiecti, scilicet esse repraesentationem et expressionem illius; et hac ratione sunt communia toti Trinitati, quamvis aptissime apropiantur Filio, ut dictum est. 2^o, ut simul includunt relationem producti, ut sapientia producta, imago distincta, verbum prolatum seu dictum, actus elicitus; et sic sunt vere propria Filio Dei, neque aliter fere accipitur imaginis aut verbi nomen.

[f.7v]

4. *Dico* 3^o: Utrovis modo sumantur haec nomina attendendum est ad simplicitatem Sapientiae Dei et Verbi divini; nec enim putandum est Dei cognitionem esse in plures veluti propositiones divisam, sed unico et simplicissimo actu comprehendit Deus omnia quae novit et loquitur. Itaque illud ipsum Verbum quod Genesi 1 nobis sonat *Fiat lux*, multo plura complectitur nimirum omnia quae Deus *fatur*, quamvis ibi solum explicetur quatenus est

libere productivum *lucis*. Sed ea ratione mirifice quadrat cum Ioannis instituto qui non solum vult asserere sed etiam ex Sacra Scriptura probare Deum ante productionem creaturarum protulisse Verbum. Et si Ioannes philosopharetur in cognitione et Sapientia Dei in communi, non esset productionis ratio adeo manifesta, quia videretur fortasse Deum proprie non exercere actum sapientiae sed esse ipsam sapientiam atque ita non opus esse ut producat actum; iam vero, cum supposita Dei essentia libere loquutus sit, evidenter apparet prolotionis seu productionis ratio et distinctio inter verbum et dicentem sine qua vix aut ne vix quidem intelligi potest quomodo possit aliquis loqui et exercere libertatem. Deinde si semel admittatur hoc verbum (*fiat*) distinctum a proferente, non erit amplius necessarium eandem distinctionem probare de Verbo quod loquutus est Deus se ipsum cognoscendo, quia constat haec non esse duo verba in Deo sed unum et simplicissimum. Itaque Ioannes agens de illo verbo (*fiat*) pro comperto relinquit id Verbum esse idipsum quo Deus novit et loquitur omnia in se ipso. Et fortasse etiam voluit illam sanationem theologicam de primo Verbi obiecto in hoc secundo obiecto recondere.

5. Dico 4° supponi a me modo tanquam certum actiones liberas Dei, nimirum electionem et visionem, etc, esse aliquid positivum formaliter in Deo. Quod vero deinde dicitur, nempe divinas Personas non procedere per huiusmodi actiones sed solum per actiones necessarias, *dupliciter* potest intelligi: 1°, quod processio divinarum Personarum non dependet ab his actionibus, et hoc est de fide, et alioqui per se notum. 2°, quod in istis actionibus non vere intelligitur eadem processio quae in actionibus necessariis, et hoc videtur esse manifeste falsum, *primo* quia ut supra patet Sacra Scriptura et Ecclesiae Patres mysterium Trinitatis probant ex istis actionibus supposita fide, atque adeo non solum significant vere in illis intelligi divinas processiones sed etiam evidenter in eis relucere, ut supra explicavimus. Probatur *secundo*, quia productio Verbi et Amoris et distinctio a producente non sumitur ex hoc vel illo obiecto sed ex natura actus vitalis; sed velle creare mundum et imperare et videre creatum sunt actus vitales; ergo necessario debet in eis intelligi eadem ratio processionis.

Hinc est quod ait Jansenius Deum bis aut ter dixisse et protulisse suum Verbum, nempe in cognitione sui, in creatione mundi et in incarnatione. Sed ommissa nunc illa veluti vocali prolotione quae est temporalis atque creata in incarnatione et quodammodo in creatione, si sermo sit de imperio Dei quod manet in ipso Deo ego non dixerim eam esse secundam prolotionem sed eandem cum aeterna et necessaria, quia quamvis addat aliquam formalitatem respectu obiecti, tamen respectu loquentis, sicut dicitur esse idem verbum ita dicendum est esse eandem processionem; ita tamen ut ex hoc ipso quod Deus imperat aliquid fieri sufficienter intelligatur Verbum ab ipso procedere, unde pro nostro modulo, si de novo imperaret, de novo procederet verbum. Sed in eo nihil novi. Fortasse tamen bene loquetur qui [f.8] dixerit in actione libera Dei

veluti renovari mysterium Trinitatis quia de novo invenit ratio viam per quam vere agnoscat easdem processiones, quia non solum continentur identice et quasi pro materiali in actione libera, sicut divinitas quae trascendit omnia, sed etiam formaliter ex ipsa ratione actionis vitalis abstrahendo a divinitate.

6. *Ex dictis constat* non ex pietatis (ut aiunt, licentia) sed ex profunditate intelligentiae ortum esse ut Sancti mysterium Trinitatis ad litteram colligant ex liberis actionibus Dei in Sacra Scriptura narratis. Quia si v.g. illud *fiat* accipitur tanquam prolatum et productum, necessario intelligitur de Filio Dei, et ea ratione in Genesi creatio tribuitur Patri per Verbum et non tribuitur Filio neque Spiritui Sancto, quamvis bene colligatur eos etiam creasse quando Pater creavit, sed in Veteri Testamento frequenter per nomen Dei designatur Pater tanquam Persona Cognita, ut diximus supra, lectione 1, n^o 15. Si vero illud *fiat* solum accipitur secundum formalitatem quam habet in ordine ad obiectum, abstrahendo ab eo quod producat vel non producat, adhuc est attributum quod appropriatur Filio Dei, sicut Sapientia, Idea, etc., atque adeo merito designat Filium quia non solum identificatur cum illo, sed etiam ex sua formalitate deducit nos in eius cognitionem. Itaque utrovis modo ex literalis sensu colligitur processio Verbi: vel quia expresse docetur vel quia necessario inferitur. Sed quamvis recentiores ita distinguant ut hoc quod est *dicere* dupliciter accipitur, nimirum *essentialiter* et *notionaliter*, crediderim tamen Apostolum in Genesi notionaliter accepisse ut dicere sit proferre et producere Verbum, non solum quia id magis deserviebat suo instituto sed etiam quia oportebat ut Sacra Scriptura in principio Genesis uteretur vocibus in communi significatione. Et sicut homines nullum verbum noverant nisi prolatum, ita apud illos *dicere* sonabat idem quod proferre verbum, et nomen etiam Dei in communi acceptione continebat notionem Patris cui proprie convenit eo modo dicere.

7. *Sed obiicies*, non oportere ut in Veteri Testamento et in ipso 1^o capite Sacrae Scripturae toties expresse declaretur supremum Dei arcanum; et ut Filius Dei reveletur quibus angeli absconduntur. Et facit pro hoc integer liber P. Ledesmae *de non vulgandis sacris. Respondeo* non evulgari quod non intelligit vulgus; posset enim merito Moises respondere quod aiunt Aristotelem de suis *Acromaticis* dixisse: *sic scripsi ac si non scripsissem*. Notum etiam est illud exemplum Augustini de libro in quo pueri literarum pulchritudinem admirantur, et sermonis elegantiam laudant iuvenes, sed ad profunditatem sensus pauci penetrant. Quare hoc potius est dignissimum Sacrae Scripturae exordio ita stilum temperare ut unusquisque pro suo captu aliquid intelligat et sapientes divinissimam theologiam ibi inveniant etiam in sensu literalis. Nec enim propterea evulgatur quandoquidem videmus ex christianis etiam doctioribus paucos intelligere quomodo ibi mysterium Trinitatis reveletur. Ad nomen Elohin in plurali confugiunt multi, sed fortasse hoc non est valde solidum argumentum quia peritiores linguae eum dicunt esse hebraeismum et valde verisimile est per

Elohin singulariter designari Pater; [f.8v] in Verbi autem prolatione quomodo vulgus intelliget mysterium Trinitatis cum fere apprehendant verbum illud non substantiale neque aeternum, sed veluti temporale et praeteritum et accidentale? Suppono ergo quod periculum evulgandi non habebat locum. Hoc eodem argumento ego mihi persuadeo eum esse Sacrae Scripturae legitimum sensum quia est altissimus et divinissimus et mirifice convenit cum eius verbis. Cur enim Deus non vellet significare id quo nihil habet carius et videbat posse ex eo capite intelligi (ut modo intelligitur)? Sed dicet quis: non erat ad rem –dirá alguno que es sentido espiritual pero no literal. Sed facile est probare que si es sentido es literal quia significatur per verba non per sensum– quid aptius quam dicere Deum dicendo *Fiat*, id est per Verbum quod ipse ab aeterno profert et generat, creasse mundum? Deinde, si semel admittas eum esse Sacrae Scripturae sensum in Genesi, vix poteris dubitare quin Ioannes inde acceperit *In principio erat Verbum et omnia per Ipsum facta sunt*, etc.

8. *Superest explicare ea quae n.º.1 obiecta sunt. Ad 1^{um}* respondeo non esse totius Trinitatis *dicere*, si proprie accipiatur, atque ita Filium et Spiritum Sanctum creare, non quia dicunt *fiat*, sed quia Pater dicit *fiat*, sicut tres Personae intelligunt et solus Pater producit intellectionem, et si *dicere* accipiatur essentialiter sine relatione producentis Verbum, adhuc appropriatur Patri sicut ipsum verbum *fiat* appropiatur Filio, de quo n.3 et 6.

9. *Ad 2^{um}*, quod agit de natura imperii, dico 1º actum intellectus quem nos per imperativum explicamus in intellectu esse iudicium et enuntiationem, ut facile perspiciet qui interius aurium inditium consulerit, itaque *fac* in intellectu est rogo te facere, aut impero aut volo aut explico voluntatem aut propono rationem, etc. [f.9] Dico 2º: ante electionem necessario praecedat propositio obiecti, quam quidam appellant imperium, per quod intellectus suadet et veluti determinat voluntatem; sed vocibus abutuntur quia quamvis fere semper voluntas nostra sequatur id quod maiori cum energia repraesentat intellectus, non tamen sequitur imperata, sed ipsa se libere determinat et potest inter aequaliter repraesentata pro libito eligere nullo alio officio intellectus expectato. Dico 3º: quidquid praecedat in intellectu divino ante liberam electionem voluntatis non esse actionem liberam sed necessariam. Probatur evidenter quia nihil praecedat nisi obiecti repraesentatio, et Deus non poterat repraesentare sibi aliquid melius vel meliori modo quam Ipse necessario cognoscit. [[f.8v]] Dico 4º apud me certam esse opinionem D.Thomae qui inter electionem et executionem ponit imperium intellectus; alioqui in nobis voluntas non moveret manum quia potentia motiva oportet ut moveatur ab appetitu sensitivo et appetitus a sensu interiori qui non habet cum voluntate libera connexionem nisi medio intellectu; et huic opinioni maxime favet Sacra Scriptura dum ait *dixit Deus fiat et factum est*, ubi inter effectum et inter voluntatem Dei videtur poni imperium eius qui dicit se velle ut fiat; sed dicere est intelligentis, ergo etc. [[f.9]] Dico 5º saltem

in Deo necessario ponendum esse eiusmodi imperium intellectus, non solum propter auctoritatem Sacrae Scripturae sed etiam propter rationis evidentiam, quia non potest Deus velle quin statim videat se velle, et videre est dicere; ergo dicit se velle; sed hoc est imperare, ut supra patet, ergo etc. Dico 6^o formaliter et in rigore eiusmodi imperium non esse ad intimandum creaturae ut sit, quia impertinens est intimare voluntatem Dei non habenti aures neque vim executivam; sed nulla creatura antequam sit habet aures; ergo Deus non agit imperando creaturae. Equidem hoc non annotarem nisi viderem quosdam plus nimio in ea sibi philosophia complacere ut in Deo sit virtus physica quae in nobis est moralis, et sicut nos moraliter facimus quod imperamus servo, ita Deus physice quod imperat unicuique creaturae. Pro quo solent concionatores adducere id ad Rom 4 [17] *vocat ea quae non sunt tanquam ea quae sunt*, quasi diceret que sin tener paje le llama y le responde. Verum sensus Apostoli est Deum ad Gratiam et fidem vocare homines nullius pretii non minus quam eos qui videntur aliquid esse, quales se putabant iudaei; sed cum concionatoribus non valde contenderim, dummodo concedant eam non esse formalem sed figuratam loquutionem, qua ratione plausibilis est. Sed in rigore quando Deus dicit *fiat*, non creaturae sed sibimet suam explicat voluntatem.

Ad 3^{um}: si in actibus liberis ponatur eadem prorsus formalitas positiva quae in necessariis, tunc nihil curo de extrinseca terminatione sed de positiva formalitate, et manebit summa identitas inter illud *fiat* et inter illud *Verbum* quod habet Deum pro obiecto et producit a Patre. Unde argumentum potius est pro nobis quam contra nos.

Ad 4^{um}: iam ostendi n^o 5 quomodo processiones divinae non dependant ab actionibus liberis, et tamen vere intelligantur in illis.

Ad 5^{um}: dico omnes Personas divinas esse simul natura, et ordinem quem assignant theologi solum sumi ex natura intellectus et voluntatis prout in actionibus necessariis intelligitur, et hic ordo nullo modo perturbatur, quamvis in hac vel illa actione prius a nobis intelligatur volitio quam visio vel imperium.

Ad 6^{um}: nego antecedens, quia illud fiat plus continet quam nostris auribus sonat, atque ita habet pro obiecto Deum et est imago Patris ut probatur n.4.

10. *Sed fortasse dicat aliquis*: quamvis Deus dicat se velle, sed eiusmodi dictum formaliter non videtur influere in effectum sed solum habere se concomitanter, quia precisse ex eo quod Deus velit praesupposita cognitione necessaria, satis intelligitur necessaria consequutio effectus; sed sicut Deus non potest non videre effectum ita non potest non videre suam voluntatem; si tamen non causat effectum ex eo quod videat se velle non dicitur imperare per intellectum quia imperium includit causalitatem.

Dico 1^o certum esse ex Genesi Deum creasse mundum per liberum actum intellectus: *dixit Deus fiat et factum est*. Unde nulla ratione negandum est quin

formaliter requiratur ad effectum divini intellectus imperium. Dico formaliter, id est non solum qua ratione identificatur cum voluntate vel cum divinitate, sed etiam ut est Verbum Dei dicentis se velle ut aliquid fiat.

Dico 2^o hoc non indigere explicatione in sententia D. Thomae qui non tribuit inmediate voluntati sed intellectui vim executivam. **[f.9v]**

Dico 3^o eandem veritatem optime explicari si per rationem distinguamus potentiam creativam ab intellectu et voluntate: tunc enim legitimus ordo apparebit esse: prius velle et deinde suam voluntatem cognoscere et statim exsequi; nam sicut si Deus non exsequeretur per semetipsum sed per angelum, executio necessario penderet a divinae voluntatis cognitione, sic etiam dependet quamvis per se exsequatur, quia nihil facit nisi quia videt se velle. Perpende quod respectu Dei est prior ordine processio intellectus quam voluntatis, sed respectu nostri prior est processio voluntatis

Dico 4^o in quacumque opinione certum esse debere causam exemplarem vere concurrere ad effectum artificis; cum ergo Deus sit artifex mundi, negari non potest quin ideae quae sunt in eius intellectu concurrant ad effectum. Quod si dicas ideas has non spectare ad liberam cognitionem sed ad necessariam, Respondeo non solum requiri ideam sed eius etiam applicationem (el ir mirando que se haga conforme a la idea,) et intellectus, dum pronuntiat Deus velle ut fiat hoc vel illo modo, vere applicat exemplar effectui, atque ita vere intelligitur quomodo effectus formaliter pendeat ab imperio intellectus divini.

11. Ex dictis patet quam bene colligatur mysterium Trinitatis ex imperio Dei, quia hoc imperium formaliter continet actum intellectus et supponit actum voluntatis, et isti actus ex sua formalitate sunt vitales, atque ita necesse est ut vere procedant ab eo in quo sunt: et processio requirit distinctionem Notitiae productae a Producente, et similiter Amoris spirati ab Spirante, ex quo manifeste colliguntur tres Personae.

Sed *obicies*: Spiritus Sanctus intelligit et amat, et non producit notitiam neque amorem; ergo non necesse est ut actus illi procedant ab eo in quo sunt. *Respondeo*: satis est ut actus vitalis procedat ab aliquo in quo est, nam in hoc docet fides rationem non falli, falleret autem colligendo nullam personam posse intelligere nisi ipsa producat notitiam, quia ex eo ipso quod intelligit ille qui producit, necessario colligitur eos etiam intelligere quibus tribuit totum esse praeter relationem producentis. Itaque non est nisi unica et simplex notitia in Deo, et illa quidem vere producit sub ratione notitiae, ut ratio naturalis postulat, non tamen distinguitur a producente sub ratione notitiae absoluta, quia omnia sunt unum ubi non obviat relationis oppositio, sed solum sub ratione productae. Per hanc ergo notitiam intelligunt omnes Personae divinae quamvis solum Pater producat eam. Sed si per eam Deus intelligit et non per aliam, non intelligitur vere Deus intelligens aut habens notitiam antequam producat eam, et ipsum producere appellatur intelligere notionale quod est proprium Patris et

habet pro termino ipsam notitiam sive sapientiam; intelligere vero, id est habere notitiam, hoc dicitur esse esentiale quia est commune Trinitati. Hic vides ad rationem verbi sive in Deo sive in creaturis nihil aliud requiri nisi notitiam et eius processionem, et ridiculum esse aliam multiplicare intellectionem nisi vel habere notitiam vel producere illam. Et quidem agentis est producere, notitiae vero procedere; et notitia, ut procedit appellatur verbum mentis. Unde falluntur qui aiunt notitiam ut procedit esse actionem et ut repraesentat obiectum esse verbum, cum potius videamus in divinis repraesentationem obiecti esse communem tribus Personis, et processionem formaliter includi in ratione Verbi, quia per eam distinguitur Filius a Patre.

12. Entendido esto no queda dificultad cómo el Hijo no engendra otro hijo, etc. (Nota que aunque in igne quando agit nihil sit ponendum de novo praeter relationem quae fundatur in virtute caloris, etc. Nihilominus es mala metaphysica quod actio est in passo, quia ad summum ita se habet actio ad agens sicut visio passiva ad visum; sed visio passiva non dicitur esse proprie in oculo vidente; ergo neque actio in passo, porque actio es la denominación extrínseca como videri, y no es más abstractio visio passiva quam videri; ergo si agere accipiatur ut extrinseca denominatio, est idem quod agens, id est esse id a quo aliquid procedit, et processio quidem est in effectu sed productio est extrinseca denominatio in agente vel dicit virtutem et relationem agentis et sic est illi intrinseca et sic sumitur in Deo).

[f.10]

Lectio 3

De Verbi appellatione et eius antiquitate et rationibus

1. Suppono primum ex D.Thoma 1 p., q.34, a.1⁹¹, et Durando 1, d.27, q.2⁹², verbum quater accipi, nimirum pro vocali, et pro vocalis imaginatione quae vocem praecedat, et pro mentis conceptum, et pro obiecto.

Pro vocali: *ut audiat terra verba oris mei* [Deut 32,1]; pro vocalis imaginatione: Iob 4 [2], *conceptum sermonem tenere quis poterit*; pro conceptu mentis: ut in Ps [13,1] *dixit insipiens in corde suo non est Deus*; et pro re quam loquimur, ut Lc 12 [21,33] *verba mea non transibunt*.

Deinde dico: quamvis exterius verbum quod ore proferimus sit notius, conceptus tamen mentis appellatur magis proprie verbum. Probatur, quia imagi-

⁹¹ THOMAS AQ., 1p., q.34, a.1. Ed Vivès, t.1, p.234.

⁹² DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Petri Lombardi*, l.1, d.27, q.2. Antverpiae 1566, f.77.

natio vocis quae praecedit verbum vocale, et res per illam significata appellantur verba per attributionem ad vocalem et verbum vocale appellatur verbum per attributionem ad mentale. Ergo mentale est magis proprium. Antecedens per se patet et constat vocem non appellari verbum nisi ordinetur ad exprimendum verbum cordis. Et ratio verbi quae est esse expresivum rei non convenit voci nisi ut signo conceptus. Reulix⁹³, *Contra Judaeos*, l.3, c.3, refert versum cuiusdam Arabis qui ait: *verbum quidem in corde est sed lingua facta est ut sit cordis interpretis*. Vide Damascenum⁹⁴ 3 *De fide*, c.18; et Augustinum *De Trinitate*, c.10 et 11⁹⁵; et Basilium, homil. 28 *Contra Sabelianos*⁹⁶; Olimpiodorus⁹⁷ *super Ecclesiastem*, c.3. Vide etiam Galatinum, *Contra Iudaeos*, l.3, c.3. Perpende etiam quam saepe Sacra Scriptura cogitationes cordis appellat verba. Ut Sap.2 [1], *dixerunt apud se cogitantes*; Mt 9 [3], *dixerunt intra se*; Mt 9 [21], et saepe alibi.

2. Ex his patet nihil proprius appellari Verbum quam Filium Dei, cum supra constet eum in sua propria formalitate esse ipsum conceptum mentis divinae. Hinc est ut omnes Ecclesiae Patres asserant Filium ex mente procedere sive per actionem intellectus. Ut Augustinus, *De Trinitate*, l.15, c.10 usque ad 27⁹⁸, et tractatu 1 *In Ioannem*⁹⁹; Hilarius in libro de Trinitate saepissime, et praesertim libro 2 prope medium¹⁰⁰; Hieronymus epistula ad principium cuius initium est *Scio me principia*; Rufinus in expositione Symboli¹⁰¹; Anselmus latissime in *Monologio*, c.28 et infra¹⁰². Similiter omnes graeci: Chrysostomus¹⁰³ hic, homilia 3; Naziancenus¹⁰⁴; Basilus in homilia super haec verba *in principio erat Verbum*¹⁰⁵; Cyrillus¹⁰⁶, Theophilactus¹⁰⁷, Euthymius¹⁰⁸ etc. et probatur ex Sacra Scriptura. Prov 8[25] *nondum erant abyssi et ego iam concepta eram, ante omnes colles ego parturiebar. Concipi et parturi non potest intelligi nisi de iis*

⁹³ REUCHLIN ?

⁹⁴ JOANNES DAMASCENUS, *De Fide orthodoxa*, l.3, c.18. PG 94,1071.2

⁹⁵ AUGUSTINUS, 9 *De Trinitate*, c.10-11. PL 42, 968-970.

⁹⁶ BASILIUS, *Homilia 24 Contra Sabelianos*... PG 31,602.

⁹⁷ OLIMPIODORUS, *In Ecclesiastem*, c.3,v.18. PG 93,522.

⁹⁸ AUGUSTINUS, 15 *De Trinitate*, c.10-27. PL 42,1070-1097.

⁹⁹ AUGUSTINUS, *Tract. I in Ioannem*. PL 35,1384.

¹⁰⁰ HILARIUS, *De Trinitate*, l.2. PL 10,63...

¹⁰¹ RUFINUS AQUILEIENSIS PRESBYTER, *Commentarius in Symb. Apostolor.*. PL 21,346.

¹⁰² ANSELMUS, *De Divinitatis Essentia Monologium*, c.29 (28), PL 158, 182,etc.

¹⁰³ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.2*. PG 59,34.

¹⁰⁴ GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio theologica 4^a*. PG 36,130.

¹⁰⁵ BASILIUS, *Homil. In illud In principio erat Verbum*. PG 31,473.

¹⁰⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.3. PG 73,39.

¹⁰⁷ THEOPHILACTUS, *Enarratio in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1137.

¹⁰⁸ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1110.

quae procedunt per actuationem intellectus, unde homines cogitabundos dicimus aliquid magnum parturire aut aliquid magnum mente concepisse. Eccle 24 *Ego ex ore altissimi prodivi*: prodire ex ore proprium est eorum quae mente concipiuntur, ut patet Mt 15 [18] *quae autem procedunt de ore, de corde exeunt*. Simile est illud Ps 44 [2] *eructavit cor meum verbum bonum*, quod multi, ut hic ait Origenes¹⁰⁹, de Filio Dei interpretantur, et de eo explicat Naziancenus. Confirmatur quia Filius Dei in Sacra Scriptura saepe appellatur Sapientia Dei, ut 1Cor 1 et Prov 8, idque ob hanc potissimum rationem quia procedat per actum intellectus, ut bene probat S. Thomas 4 Contra gentes, c.12¹¹⁰, et ob eandem causam ait Apostolus ad Colosenses 2 [3] *in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei*.

[f.10v]

3. Hinc etiam est ut Sancti explicent de Filio Dei ea Sacrae Scripturae loca Ps 32 [6] *verbo Domini caeli firmati sunt*. Ps 106 [20] *misit verbum suum*, Ps 118 [89] *in aeternum Domine permanet verbum tuum*. Vide Damascenum¹¹¹, 1 De Fide c.7; Eusebium¹¹², De preparatione Evangelica, l.11, c.10. Similiter explicat Naziancenus id Ps 44 *eructavit cor meum verbum bonum*. Huc spectat illud Iob 33 [14] *semel loquitur Deus et secundo id ipsum non repetit*, quae verba exponens Gregorius, 23 Moralium c.19¹¹³ ait *loqui Deum est genuisse Verbum*. Et illud Ps 61 [12] *semel loquutus est Deus*. Exponunt eodem modo Gregorius, et Augustinus¹¹⁴ de aeterna Filii generatione. Nosti aliter explicari.

4. Sapientibus etiam iudaeorum notum fuit Filium Dei proprie appellari Verbum, nam Isaias 45 [17] ubi nos homines *Israel salvatus est in Domino salute aeterna*: ubi legitur *in Domino*, in hebraeo est *in Jehovah*, et Ionatas in sua paraphrasi caldaica transtulit *in Verbo Dei*. Et Oseae 1 [7] ubi habemus *salvabo eos in Domino Deo suo*, vertit idem Ionatas *in verbo Domini Dei eorum*. Multa huiusmodi refert Galatinus l. 3 *Contra iudeos*, c.3.4.5. Pariter facit illud Philonis, quod refert Eusebius supra, ex libro qui inscribitur *Quod deterius potiori insidiari soleat*, ubi ait *deceat omnes qui scientiam quaerunt ad Deum Patrem mentem erigere, si vero nequeunt, ad imaginem saltem eius, id est verbum sacratissimum*¹¹⁵, et infra, *si nominetur aliquis filius Dei appellari dignus, studeat tamen ad primogenitum eius verbum angelis omnibus antiquius et quasi principem angelorum, etc*, et in libro De mundo opificio, fere in princi-

¹⁰⁹ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.1. PG 14,66.

¹¹⁰ THOMAS AQ., *Contra gentiles*, l.4, c.12. Ed Vivès 1874, t.12, p.495.

¹¹¹ JOANNES DAMASCENUS, *De Fide orthodoxa*, l.1, c.7. PG 94,807.

¹¹² EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Praeparatio Evangelica*, l.11, c.15. PG 21,886.

¹¹³ GREGORIUS MAGNUS, *Moralium liber 23*, c.19. PL 76,272.

¹¹⁴ AUGUSTINUS, *Enarratio in Ps 61*. PL 36,742.

¹¹⁵ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Praeparatio Evangelica*, l.11, c.15. PG 21,886.

pio ait *Sicut id quod fit est prius in mente artificis, ita mundi ideam non aliter esse quam in verbo Dei quod adornavit haec omnia*. Et paulo post ait *Verbum Dei esse archetypum, exemplar et ideam idearum*¹¹⁶. Et eiusmodi sunt multa in libris eiusdem auctoris.

5. Nonnulli etiam ex Philosophis hoc verbum agnoverunt. Vide quae Jansenius¹¹⁷ adducit ex Trimegistro in Pimandro, et quae affert Reulinus de verbo mirifico l.3, c.2, et Eusebius supra, et plura apud Eusebium, l.2, De peremni philosophia c.23 usque ad 29, ubi citat Orpheum, graecis philosophis antiquiorem, qui in suis carminibus Filium Dei vocat Verbum divinum. Itam apud Theodoretum, De curatione graecorum affectionum. (Esto es también lo que los poetas atinaban cuando decían que Minerva era hija del cerebro de Júpiter.) Sed illud non est pretereundum quod Eusebius¹¹⁸ affert ex Amelio inter platonicos iuniores illustri auctore qui ait *hoc profecto erat verbum quo ea quae facta sunt facta sunt, quod etiam ipse barbarus putat in ordine principii atque dignitate constitutum apud Deum semper? Quod universa simpliciter constituta sunt in quo quae vivunt vitam habent etc.* Alludit, ut notat Eusebius (et ipsa verba ostendunt) ad principium Evangelii Ioannis, et eum *barbarum* vocat. Augustinus, 7 Confessionum c.9¹¹⁹, late docet se in libris platoniorum legisse initium Evangelii Ioannis aliis verbis.

Nota omnia ista Platonem didicisse ab hebraeis quorum libros legit, ut ait Eusebius¹²⁰, et ab eo acceperunt platonici. Didicit etiam ab aegyptiis et ipsi ab hebraeis, nam Mercurius Trimegisto post Moysen fuit ut testatur Marsilius Ficinus in eius prologo. [f.11]

6. Iam satis explicata et confirmata est appellatio Verbi. Adhuc tamen videtur *nomen Filii* esse multo notius et quodammodo magnificentius et significantius etiam ad denotandam distinctionem personarum, atque ita dubitari solet cur Ioannes non dixerit in principio erat Filius sed in principio erat Verbum. –Ad hoc dubium evidentissima est in nostra explicatione responsio, nam si Ioannes non solum asserere volebat aeternitatem et divinitatem Filii sed eam etiam ex Sacra Scriptura probare, et principium Evangelii ex principio Genesis desumere, necesse erat ab eo nomine auspicari quod ex principio Genesis aperte colligitur, ut supra ostensum est, et deinde facile fuit huic eidem Verbo *Unigeniti Filii* nomen tribuere, neque id distulit Ioannes, cum in hoc odem primo capite dixerit hoc Verbum esse *Unigenitum qui est in sinu Patris*, etc.

¹¹⁶ ID. *Ibid.*, c.24. PG 21,911.

¹¹⁷ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.3

¹¹⁸ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Praeparatio Evangelica*, l.11, c.18s. PG 21, 899.

¹¹⁹ AUGUSTINUS, *Confessionum*, l.7, c.9. PL 32,740.

¹²⁰ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Praeparatio Evangelica*, l.10, c.1. PG 21,766.

7. Sed praeter hanc evidentem rationem assignantur a Doctoribus multas propter quas decuit ut Ioannes inciperet a *Verbi appellatione*. Jansenius¹²¹ ait id fecisse quia sciret secundam in divinitate Personam a philosophis excellentioribus (ut dictum est) cognitam et significatam fuisse nomine Verbi, et fortasse hoc eo libentius fecit ut ipso initio eorum errorem corrigeret, nam nisi fallor Philo et Platonici et fortasse etiam Mercurius, non bene intelligentes eam doctrinam quae ab hebraeis ad eos dimanarat non tam in veram Verbi Dei cognitionem quam in cuiusdam supraemae creaturae falsam suspicionem devenerunt, quam angelorum principem et mundi huius opificem et verbum Dei, id est interpretem appellabant. Quem postea errorem sequuti sunt Origenes¹²² et Arrius; sed eum apertissime condemnat Apostolus dum ait Filium Dei esse ipsum Verbum quod loquitur Deus et quod loquutus fuisse dicitur in principio Genesis; atqui loquela Dei non potest esse alterius naturae Persona.

8. D. Thomas aliter respondet, scilicet magis convenire huic principio appellationem Verbi *quia tractaturus erat Ioannes de Filio Dei quatenus manifestat nobis Patrem*. Sed hoc est ad vocalis verbi acceptionem recurrere, qua ratione Filius Dei non erat Verbum in principio, quia tunc non erat interpret etiamsi vere dicatur (ut norunt logici) hic interpret fuisse in principio. Quare non est haec praecipua ratio, quamvis propter eam etiam verum sit Christum appellari Verbum Dei, ut notant Origenes¹²³, Chrysostomus¹²⁴, Basilius¹²⁵, Theophilactus¹²⁶ et Euthymius¹²⁷, ex quo intelligitur locus apud eundem Basilium difficilis¹²⁸ libro 5, Contra Eunomium c. 11, ubi inquit *Dei quidem Verbum Filius, Filii autem Verbum Spiritus, id est, ut Filius Dei fuit interpret Patris, ita Spiritus Sanctus super Apostolos descendens fuit interpret Christi*, iuxta id Ioannes 14 [26] *ille vos docebit omnia et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis*. Ita interpretatur Basilium D. Thomas 1 p., q. 34, a. 2¹²⁹.

9. Congruentior rationem assignant graeci, cur Ioannes inceperit a nomine Verbi potius quam Filii, ne audito statim ab initio Filii nomine, cogitaret aliquis nativitatem corporalem cum passione et motu. Ita Chrysostomus,

¹²¹ CORNELIUS JANSSENS, *Concordia*, Lion 1580, p. 3.

¹²² ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t. 2. PG 14, 126.

¹²³ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t. 1. PG 14, 56s.

¹²⁴ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 2(1)*. PG 59, 34.

¹²⁵ BASILIUS, *Homilia In illud In principio erat Verbum*, PG 31 473s.

¹²⁶ THEOPHILACTUS, *Enarratio in Ev. Ioannis*, c. 1. PG 123, 1137.

¹²⁷ EUTIMIUS, *Orthodoxae fidei Dogmatica Panoplia*. PG 130, 38s.

¹²⁸ BASILIUS, *Adversus Eunomium*, l. 5. PG 29, 731.

¹²⁹ THOMAS AQ., 1p., q. 34, a. 2. Ed. Vivés, t. 1, p. 236.

Homilia 1 et 3¹³⁰, Theophilactus¹³¹ et Euthymius¹³², et late Basilius¹³³ describens quan sit spiritualis nostrae mentis partus, dum parit notitiam. [f.11v]

10. Praeterea, quamvis nomen Filii deserviat ad significandam relationem perfectae similitudinis et imaginis, nihilominus erat aptius nomen Verbi quia requirit et continet eandem similitudinem et simul explicat eius similitudinis relationem, nimirum quod procedit ex mente et per actionem intellectus, et praeterea significat summam Filii cum Patre coniunctionem, quia necesse est ut notitia sit in mente quae illam producit; et connotat etiam Filii aeternitatem, ut bene notat Theophilactus¹³⁴, quia si semel admittatur Filium esse Verbum ipsum et notitiam Dei, sicut Deus numquam fingi potest nisi se ipsum cognoscens et sibimetipsi loquens, ita etiam numquam sine Filio sive Verbo. Denique has fere omnes rationes brevi et eleganter coniungit Basilius in sua Homilia dicens *Cur Verbum? Quia ex mente procedit. Cur inquam Verbum? Quoniam sine motu genitum est. Cur Verbum? Quoniam imago est Patris, et denique ut ostendatur eius cum Patre coniunctio.*

Lectio 4^a Et Verbum erat apud Deum

1. Apud Deum, grece πρὸς τὸν Θεόν, et quidem praepositio πρὸς cum acusativo multos et varios habet usus: et 1^o: poterat designare illum cui dicebatur Verbum, sicut 4 Regum 9 [5]: *verbum mihi ad te, o princeps*, ubi est eadem propositio; hac ergo ratione sensus erat quod Deus sibimetipsi loquebatur per illud verbum. 2^o, poterat explicare relationem Verbi ad Patrem, quia πρὸς fere semper significat idem quod *ad*; ergo Verbum erat ad Deum, id est totum *esse* huius Verbi erat relative ad Deum, et sic accipit Cajetanus, contra quem solet obiici quod Verbum non dicitur relative ad Deum cum Deus sit nomen absolutum, sed ad Patrem; verum hoc nihil est quia nomen Dei manifeste designat Patrem in hac propositione, alioqui contineret errorem communis explicatio quae probat hinc distinctionem Personarum, cum Verbum non distinguatur a Deo absolute sumpto, sed a Deo dicente Verbum. 3^o, poterat praepositio indicare similitudinem Verbi ad Patrem, ut patet ex dictionario graeco ubi afferuntur ex Alexandro Aphrodisio, 1.2 Problematum καὶ καθόλου (omnino) πρὸς τὸ σχῆμα καὶ τὴν χροῶν φαινομενα, id est cum similitudine

¹³⁰ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.2 (1); 4(3)*. PG 59,34.47.

¹³¹ THEOPHILACTUS, *Enarratio in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1137.

¹³² EUTHYMIUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1110.

¹³³ BASILIUS, *Homilia In illud In principio erat Verbum* PG 31,474s.

¹³⁴ THEOPHILACTUS, *Enarratio in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1137.

figurae et coloris apparentia. Sicut hoc dicitur in Genesi ad imaginem Dei sic ad Deum quia conforme con el original. 4^o, solet eadem propositio denotare proportionem ut πρὸς τὸ μέγεθος τῆς πόλεως, pro urbis magnitudine, πρὸς αὐτον, pro eius corporis magnitudine, πρὸς τον βραχιονα, proportione brachiis, sic ergo Verbum πρὸς τον Θεον, id est iuxta Dei magnitudinem, non ut verba nostra sed plenum maiestate et virtute, sicut postea ait *gloriam quasi Unigeniti a Patre*. Vide 2 Cor 4 [6] *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere ipse illuxit in cordibus nostris ad (πρὸς) illuminationem scientiae claritatis in facie Christi Iesu*, a la traza que luce en Cristo. Plato πρὸς προσβολεω, id est respectu excessus.

2. Omnes istae explicationes erant catholicae et iuxta sermonis graeci proprietatem, atque adeo non sunt omnino reiiciendae. Sapienter tamen noster interpres protulit eam quam legimus in vulgata lectione, ut *πρὸς τὸν Θεόν sit idem quod apud Deum*. [f.12] 1^o, quia sic explicarunt omnes interpretes, non solum latini sed etiam graeci. 2^o, quia ea ratione multo melius cohaeret contextus, si ex eo quod Verbum fuit ab initio colligatur necessario fuisse apud Deum qui per illud loquebatur, et consequenter ipsum etiam Verbum esse Deum. 3^o, quia ex aliis locis constat eam esse Ioannis mentem, nimirum ex Epistula 1, c.1[2]: *annuntiamus vobis vitam aeternam quae erat apud Patrem et apparuit nobis*, et c.2[1]: *advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum*. In his locis constat eandem esse praepositionem in graeco, et Ioannem eandem voluisse exprimere sententiam; ergo necessario ea eligenda fuit expositio quae cohaereret cum Verbo, Vita et Advocato, nimirum esse apud Deum.

3. Sed oportet amplius explicare *quid sit esse apud Deum*. Vide Augustinum, 6 De Trinitate c.2¹³⁵, et Hilarium 2 De Trinitate in medio¹³⁶. Augustinus exponit *apud Deum*, id est *in Deo*. Hilarius et Theophilactus apud Deum, id est *cum Deo*. Et facit locus Mc 6 ubi dicitur et sorores eius nobiscum sunt, graece πρὸς ημᾶς, et Mt 13 *apud nos*. *Dico 1^o* hac loquutione evidenter significari coniunctionem Verbi cum Deo Patre, quasi diceret: in principio erat Verbum, sed ubi erat? Apud Deum proferentem. *Dico 2^o* ex Cyrillo¹³⁷, Basilio¹³⁸ et S. Thoma, aliquid interesse inter *apud* et *in* quia ex praepositione *in* non colligitur distinctio personalis, ut patet evidenter nam albedo est in homine et vita *in* Christo. At vero ex eo quod dicitur *Verbum erat apud Deum* colligunt distinctionem personalem omnes interpretes et praesertim Basilius¹³⁹, Cyrillus¹⁴⁰,

¹³⁵ AUGUSTINUS, 6 De Trinitate, c.2. PL 42,925.

¹³⁶ HILARIUS, 2 De Trinitate. PL 10,61.

¹³⁷ CYRILUS ALEXANDRINUS, In Ioannis Ev., L.1, c.4. PG 72,55.

¹³⁸ BASILIUS, Hom. In illud In principio erat Verbum. PG 31,479.

¹³⁹ BASILIUS, Hom. In Illud In principio erat Verbum. PG 31,479.

¹⁴⁰ CYRILUS ALEXANDRINUS, In Ioannis Ev., l.1, c.2. PG 73,31.

Chrysostomus¹⁴¹, Euthymius¹⁴², Augustinus, et Hilarius¹⁴³, 2 De Trinitate. Unde non erat repetitio sed additio *Verbum erat in principio*, id est in Patre, neque solum in Patre sed etiam *apud Patrem*, quia esse *apud aliquem* fere non dicitur nisi de persona distincta.

4. *Dico 3^o* bene significari hac phrasi personalem distinctionem iuxta communioem usum loquendi, et cum alioqui constet de veritate, vix poterit dubitari quin ea quoque fuerit Ioannis intentio. Verum hoc argumentum desumptum ex vi praepositionum valde futile esset ad probandum id quod alioqui non constaret, quia eorum usus est varius, anceps et lubricus, et saepe contemnitur ea vis, ut patet Mc 9 [10], ubi discipuli dicuntur verbum apud se continuisse, graece πρὸς ἑαυτοῦς, et Lc 18 [10] dicitur fariseum *apud se orasse*, graece πρὸς ἑαυτόν et in nostra versione Jn 6 [61] *sciens Iesus apud semetipsum ἐν ἑαυτῶ*. 1 Cor 16 [2] *unusquisque vestrum apud se*, et 2 Cor 10 [7] *hoc iterum cogitet apud se ἐφ' ἑαυτοῦ*; ad Rom 12 *ne sitis sapientes apud vos*, etc. Verum cum in praesenti constet de distinctis Personis esse sermonem bene habet communis annotatio, et id etiam quod notat Hilarius de Patris auctoritate, quia non tam proprie dicitur Pater esse apud Filium sicut Filius apud Patrem. Vide etiam Jansenium¹⁴⁴ de amicitiae connotatione.

Et Deus erat Verbum

5. Augustinus, 3 De doctrina christiana, c.2¹⁴⁵, indicat quosdam Arrianos aliter voluisse distinguere, hoc scilicet modo: *Verbum erat apud Deum et Deus erat*. Et deinde *Verbum hoc erat in principio apud Deum*. Stulta sane distinctio, sed meo iudicio non mutat sensum quia adhuc illa verba (et Deus erat) cum Verbo deberent coniungi, ridiculus enim esset interponere quod tunc Deus existebat in rerum natura. Forsam non habet locum in graeco ὁ λόγος οὗτος, *el verbo este*. Predicatur ergo Deus de Verbo. Et idem est sensus in nostra distinctione *Deus erat Verbum*, nam Verbum est subiectum et Deus praedicatum, ut docent Basilius, Origenes¹⁴⁶, Cyrillus¹⁴⁷, Euthymius¹⁴⁸, Theofilactus¹⁴⁹,

¹⁴¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 4(3)*. PG 59,47.

¹⁴² EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1110.

¹⁴³ HILARIUS, *2 De Trinitate*. PL 10,62.

¹⁴⁴ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.5.

¹⁴⁵ AUGUSTINUS, *De doctrina christiana*, l.3, c.3. PL 34,66.

¹⁴⁶ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.2. PG 14, 110s.

¹⁴⁷ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.3. PG 73,39.

¹⁴⁸ EUTIMIUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1111.

¹⁴⁹ THEOFILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1139.

Augustinus, Hilarius (2 De Trinitate et 7 De Trinitate¹⁵⁰), S. Thomas et omnes. Id quod etiam evidentius est in graeca lectione ex ratione articulorum. [f.12v]

Sed non valde contenderim si quis Deum velit facere subiectum et Verbum praedicatum, quia in re idem est sensus et vere praedicatur quaelibet Persona divina de Deo et utcumque sit, praedicatum et subiectum debent esse una et eadem res. Quomodo vere Pater appelletur Deus cum articulo et Filius sine articulo et ea ratione aperte doceatur aequalitas sine confusione Personarum, vide supra, lectione 1, n^o 11, et infra. Vide etiam quae Jansenius¹⁵¹ affert ex Hilario et S. Thoma, nempe nomen Dei numquam in Sacra Scriptura tribui absolute creaturae; in praesenti vero non solum tribuitur absolute Verbo sed etiam cum eo contextu in quo necesse est intelligere de eadem prossus divinitate quae est in Patre, non solum quia non est nisi unus Deus, Deut 6 [4], sed etiam quia tribuitur ei divinitas ex eo quod est in Deo Patre sicut Verbum in proferente. De quo late lectione 1^a. Vide etiam Cyrillum¹⁵² hic, et lege caute Theophilactum ut monet Jansenius¹⁵³. Ipse se explicat Ioannes 14 *ego in Patre* etc. una substantia est subsistentiis separatis. Quomodo non repugnat pluralitas personarum cum essentiae identitate numerica, scholasticis relinquo. Nosti ea quae evidenter implicant in rebus finitis esse certissima in infinitis. (Explica para qué fin reveló Dios este misterio, para reverencia y para amistad.)

Hoc erat in Pricipio apud Deum

6. Illud *hoc* designat Verbum, ut patet ex graeco. Sed quid continet haec propositio quod in superioribus non contineatur? Jansenius¹⁵⁴ adducit duo, scilicet, Verbum fuisse in principio apud Patrem, et idem esse Verbum quod fuit in principio apud Deum et quod est Deus. *Dico 1^o* in his duabus propositionibus quas adducit Jansenius nihil novi contineri, quia articulus satis denotaverat identitatem Verbi et, si admittatur Verbum a principio et illud esse Verbum Dei, non oportet amplius explicare quod erat in Deo a principio. *Dico 2^o* in re tanti momenti non debere videri superfluum repetitionem, etiamsi nihil novi contineret, nam ea est Sacrae Scripturae consuetudo in praecipuis quibusque doctrinis, et Ioanni est id valde familiare, ut patet in Epistolis dum commendat praeceptum charitatis et propter summam rei gravitatem et substantialitatem nullum poterat esse eiusmodi repetitioni aptiorem locum quam in praesenti. Atque ita Origenes, Basilius et Euthymius¹⁵⁵ solum aiunt Apostolum voluisse

¹⁵⁰ HILARIUS, 2 De Trinitate. PL 10,62; 7 De Trin. PL10,206.

¹⁵¹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.5.

¹⁵² CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.3. PG 73,39.

¹⁵³ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.6.

¹⁵⁴ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.6.

¹⁵⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *In Ioannem* c.1. PG 129,1111.

colligere quae hactenus dixerat. *Dico* 3^o hanc repetitionem mihi videri adiectam contra errorem Arrianorum et fortasse Platoniorum, qui verbo cuidam creato, seu potius ficto, tribuebant mundi opificium, unde Ioannes cum veram explicasset doctrinam de Verbo Dei adiecit hoc est Verbum quod erat in principio mundi apud Deum, hoc inquam et non aliud, et per hoc omnia facta sunt et non per aliud, quasi diceret: toto caelo aberrant qui aliud verbum docent in principio mundi apud Deum fuisse praeter id Verbum quo Deus ipse loquitur et quod est vere Deus. Pro hac explicatione facit Cyrillus¹⁵⁶ qui ait hanc repetitionem adiectam esse contra Eunomianos, qui duplex verbum ponebant, scilicet, aliud innatum in Deo, et aliud creatum quod est filius Dei.

Omnia per ipsum facta sunt

7. Hinc haeretici macedoniani stulte colligebant Spiritum Sanctum factum, cum evidens sit illud *omnia* distributive accomodata intelligi debere de iis quae facta sunt, ut statim explicatur, alioqui significaret Patrem et Filium factos esse per Verbum. Deinde illud *per* exponit Arius, Origenes, et Eusebius¹⁵⁷, 1.1 Historiae, c.2, tanquam per ministrum, alioqui (aiunt) non diceretur Deus suo imperio creasse mundum nisi suo nutu imperaret Verbo. Et adducunt id Ps 32 [9] *ipse dixit etc ipse mandavit et creata sunt*.

Dico 1^o ipsos arrianos non invenire vim in istis locis ad suum errorem, sed potius propter suum errorem locis ipsis faciunt vim. Nam apud catholicos omnia facit Deus suo imperio, id est sola suae voluntatis explicatione sine ullis machinis, neque iste loquendi modus potest eis displicere et bene etiam norunt τὸ *per* in Sacra Scriptura saepe poni ad explicandam causam principalem, ut *fidelis [f.12-f.13]*¹⁵⁸ *Deus per quem vocati estis etc. Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris*, possedi hominem per Deum. Et omnes fatemur Deum per illud verbum *fiat* creasse omnia, et tamen neque ipsi arriani faciunt illud verbum ministrum Dei. Cum ergo constet Ioannem de hoc Verbo loqui, evidens est non significare omnia facta esse per verbum tanquam per ministrum sed tanquam per ipsum imperium Dei. Solent catholici contra arrianos obiicere id Ps 101 [26] *initio Tu Domine terram fundasti*, quod de Filio Dei explicavit Paulus, ad Hebr 1 [10], non tamen ipsi negant Verbum omnia fecisse, sed aiunt fecisse ut ministrum a Deo imperatum, quare ad eos convincendos aptior est ipse locus Ioannis qui evidenter agit de imperio Dei, et aptius erit eorum irridere stultitiam qui credunt Deum non creare sed cuidam servo imperare ut creet.

¹⁵⁶ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, 1.1, c.4. PG 73,58.

¹⁵⁷ EUSEBIUS CAESARIENSIS, *Historia ecclesiastica*, 1.1, c.2. PG 20,55.

¹⁵⁸ Error en la numeración de los folios del ms.

8. Cyrillus¹⁵⁹, ut declinaret ab arrianis, explicat *per ipsum*, id est *ab ipso*, sed melius est ut construamus omnia facta esse a Deo Patre per Filium, non quia Ioannes curaret hic Patris potentiam declarare, sed quia vellet creationem mundi tribuere Filio, non solum sub communi ratione Dei, sed explicando quomodo illi peculiariter tribuatur secundum propriam formalitatem et notionem propter quam Pater dicitur creasse per Filium, non vero Filius per Patrem, nam propositio *per* in actione designat id quod est alicui ratio et forma agendi, sicut ignis agit per calorem, et artifex per ideam et sapientiam. *Per quem fecit et saecula*, ad Hebraeos, 1 [2]. Prv 8 [15] *per me reges regnant*. Ratio ergo agendi in Deo non est alia nisi actus intellectus et voluntatis qui, si absolute sumantur, merito appropiantur Filio et Spiritui Sancto, et si accipiantur ut actus producti, non solum appropiantur sed sunt eorum propriae notiones. De quo lectione 2, n.3. Et multo melius est ut Apostoli dictum accipiatur proprie quam per accommodationem, dum ait omnia per Verbum facta esse. Neque deberet Jansenius¹⁶⁰ negare Filium esse Patri rationem agendi quia hoc est negare quod Pater agat per actum sapientiae et imperii quem producit, quamvis verum sit actum sapientiae et imperium, etsi non accipiantur ut producti sed ut communes toti Trinitati, esse rationem agendi; sed formalior est prima loquutio, et magis deservit Sacrae Scripturae.

Idem ergo est Deum agere per Filium et per Spiritum Sanctum quod agere per actum intellectus et voluntatis. Hinc ergo intelligitur vis earum loquutionum, ad Gal 1, *Paulus vocatus Apostolus per voluntatem Dei*, et Act 1,2, *per Spiritum Sanctum*, et 1 Cor 1, *nobis revelavit Deus per Spiritum suum*, et ad Hebr 1, *per quem fecit et saecula*.

9. Nota tamen proprie loquendo Deum esse sanctum per Spiritum Sanctum, et sapientem et potentem per Verbum, quia sanctitas formaliter consistit in actu voluntatis, et sapientia in actu intellectus. Potentia vero quamvis videatur ad utrumque pertinere, tamen quia ut supra patet, imperium formaliter est actus intellectus, ideo quae agunt per imperium in rigore habent suam virtutem in actu intellectus. Hinc est ut sicut sanctificatio et ea quae ad sanctificationem pertinent tribuuntur Spiritui Sancto, quia ad summam sanctitatem spectat esse fontem sanctitatis, ita potentia tribuatur Filio, quem Paulus appellat *Dei Sapientiam et virtutem*, 1 Cor 1; ergo Deum fecisse aliquid per Spiritum Sanctum est idem quod fecisse per suam sanctam voluntatem aut per suam sanctitatem; fecisse autem per Filium est fecisse per suam Sapientiam et per suum imperium et per suam virtutem, quas tres rationes fortasse voluit distinguere Paulus ad Romanos 11,36 ubi videtur agere de Filio Dei, et ait *ex ipso et per*

¹⁵⁹ CYRILLUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.5. PG 73,78.

¹⁶⁰ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.7.

ipsum et in ipso sunt omnia. Ex ipso tanquam idea et causa exemplari, hoc est, ex sapientia; et per ipsum tanquam per imperium; et in ipso tanquam in virtute, iuxta receptissimam Sacrae Scripturae phrasim in qua *in* denotat virtutem, ut Ps 43 [6] *in te inimicos nostros ventilabimus*, et Ps 17 [30] *in te eripiar a tentatione et in Deo meo*, etc. Vide hic Jansenium¹⁶¹ contra Valentinum.

Et sine ipso factum est nihil

10. In illa dictione *nihil* finiunt sententiam Origenes¹⁶², Cyrillus¹⁶³, Augustinus¹⁶⁴, Rupertus¹⁶⁵, Lyra interlinealis, et plerique latini expositores, quam distinctionem levi ratione paeferunt Titelmanus, Erasmus et Sixtus, libro 6 Bibliothecae, notione 178¹⁶⁶. Sed eam improbant Chrisostomus¹⁶⁷, homilia 4, [f.12v] Theofilactus (dice que es de Macedonio y de herejes)¹⁶⁸ et Euthymius¹⁶⁹. Pro quibus facit Hieronymus, Is.11 et 44¹⁷⁰; Nicephorus, l.1 Historiae, c.2¹⁷¹. Eorumque lectionem sequuntur Jansenius¹⁷², Vatab. Clarius¹⁷³, Montanus et libri correctionum. (Hanc lectionem falso tribuit Glossa Origeni¹⁷⁴.) Et ea Lectio videtur magis sequenda, tum quia in huiusmodi rebus plurimum valet auctoritas eorum quos habet pro se, tum etiam propter meliorem sensum atque contextum eorum qui sequuntur. Sed quod attinet ad praesentem sententiam idem est sensus utrovis modo legatur, scilicet, nihil factum esse sine Verbo Dei, aut nihil quod factum sit, id est nihil eorum quae facta sunt, sine illo factum esse. Itaque, quod attinet ad sensum abundat illud quod factum est, et quod attinet ad constructionem quodammodo impedit, neque per id magis excluditur Spiritus Sanctus quam per verba precedentia, unde probabilis est Augustini lectio quamvis altera merito praeferatur.

Utcumque sit, haec est superioris sententiae repetitio sed cum maiori

¹⁶¹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.7.

¹⁶² ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.2. PG 14,139.

¹⁶³ CYRILUS ALEXANDRINUS. *In Ioannis Ev.*, l.1, c.6. PG 73,86.

¹⁶⁴ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evangelium*, tract.1, c.1, n.13. PL35,1385.

¹⁶⁵ RUPERTUS TUITIENSIS, *Comment. In Ioannem*, l.1. PL 169,209.

¹⁶⁶ SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, l.6, annotatio 173. Venecia, 1566, p.792.

¹⁶⁷ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.5(4)*. PG 59,53.

¹⁶⁸ THEOFILACTUS, *Enarratio in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1145.

¹⁶⁹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1111.

¹⁷⁰ HIERONYMUS, *Comment. In Isaiam prophetam*, c.44. PL 24,455.

¹⁷¹ NICEFORUS CALIXTUS, *Ecclesiasticae Historiae*, l.1, c.2. PG 145,622.

¹⁷² CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.7.

¹⁷³ ISIDORUS CLARIUS, O.S.B. (m.1555).

¹⁷⁴ GLOSSA ORDINARIA, *Evang.sec. Ioannem*, c.1,vers.3. PL114,356.

energia et significatione et cum explicatione eius universalitatis quam continebat illud *omnia per ipsum facta sunt*, omnia inquam *sive visibilia sive invisibilia, sive troni* etc. ut explicat Paulus ad Colosenses 1 [16]. Denique omnia quae facta sunt ne uno quidem excepto nam graeca sonant et sine ipso neque unum eorum factum est: non enim habent οὐδέν, id est nihil sed οὐδέ έν, id est neque unum.

11. Ex quo primo infertur optime argumentari Augustinum (hic¹⁷⁵ et de Natura boni, c.25 vel 24¹⁷⁶) contra Manichaeos, qui explicabant res nihili, id est res corruptibiles factas esse sine Filio Dei, accipientes affirmative quod dicitur *sine ipso factum est nihil*, cum evidenter constet accipiendum esse negative. Secundo infertur reiiciendam esse Origenis expositionem, qui per *nihil* intelligit peccatum, tom. 2¹⁷⁷. Sed nota decipi scholasticos cum D. Thoma¹⁷⁸ et Xisto, l.6, annotatione 174¹⁷⁹, tribuentes Augustino eam expositionem quam merito irrident Jansenius¹⁸⁰, Arboreus et Erasmus cum Hieronymo, Micheas 2, quia constat Ioannem negative debere intelligi, et constat etiam Augustinum negative interpretari. Nisi quod ad argumentum manichaeorum quando probare volebant aliquid fieri sine Deo quia peccatum fit sine Deo, respondet peccatum non fieri proprie quia non est quid positivum, affert id Ioannes 18 [20] *in occulto loquutus sum nihil*, ut tueatur hanc negativam, non fit aliquid sine Deo, nam manichei peccatum appellabant nihil, id est vile quid, sed id faciebant naturam positivam et aiebant habere causam efficientem, malum quodam principium, ut ipse Augustinus docet l. de Haeresibus. c.46¹⁸¹. Scio multos scholasticos aliter respondere manicheis et impertinens iudicare ad argumenti solutionem quod peccatum sit formaliter positivum vel privativum quia neutro modo potest Deus ad illud determinare concursus, sed in praesenti non agimus de ea quaestione sed de Augustini explicatione et quod attinet ad veritatem nostrae propositionis satis est nihil positivum esse in peccato ad quod intellectus divinus non concurrat aliquo modo quamvis nulla ratione sit ipse causa peccati, in quo omnes theologi conveniunt.

12 Montanus exponit Ioannis propositionem quasi diceret omnia quidem per Verbum esse facta sed sine Verbo, id est discedendo a Verbo et peccando, in nihilo redactum esse hominem, qui fuerat a Deo factus, atque perfectus in quodam esse eximio, quia incidit in mortem et damnationem et captivitatem

¹⁷⁵ AUGUSTINUS, *In Ioannis Evang.* Tract.1, c.1,n.14s. PL 35,1386.

¹⁷⁶ AUGUSTINUS, *De natura boni contra manichaeos*, c.25. PL 42,559.

¹⁷⁷ ORIGENES, *Comment. in Ioannis Ev.*, t.2. PG 14, 139.

¹⁷⁸ THOMAS AQ., *In Ev. Ioannis expositio*, c.1. Ed. Vivès, t.19, p.691.

¹⁷⁹ SIXTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, annot.174. Venetiis 1566, p.793.

¹⁸⁰ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.7.

¹⁸¹ AUGUSTINUS, *De haeresibus ad Quodvultdeus*, c.46. PL 42,34s.

diaboli, et carentiam gratiae, etc. Facit illud Esther, 14,11, *ne tradas Domine sceptrum tuum iis qui non sunt*, et multa alia huiusmodi ex Sacra Scriptura et Sanctis et praesertim Origenes hic et Augustinus in Soliloquiis c.4 et 5. Sed contra hanc expositionem est supradicta annotatio ex graeco in quo habetur *et sine ipso factum est neque unum ex omnibus quae facta sunt*. Vide Pico della Mirandola tractatu *De ente et uno*, fine.

13. Hilarius, 2 De Trinitate¹⁸² tantum abest ut absolvat cum Augustino in dictione *nihil* ut plus nimio fuerit progressus legendo *et sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso*. Sensu ut apparet ridiculo, sed vide quomodo eum excuset Jansenius¹⁸³ et utcumque sit, ea non est legitima [...].

[f.13]

Lectio 5 In ipso vita erat

1. Vidimus lectione 4, n.9, quosdam legere *quod factum est in ipso vita erat*, unde Augustinus philosophatur (vide etiam de Genesi ad litteram c.24¹⁸⁴ et Bedam¹⁸⁵ et Rupertum¹⁸⁶) in Verbo, id est in artificis idea vivere quae sunt in se mortua et inanimata. Cyrillus¹⁸⁷ vero exponit Verbum esse vitam in ipso quod factum est, id est impertire vigorem rebus omnibus creatis et esse velut animam mundi. Sed in utraque expositione non videntur bene cohaerere quae sequuntur et multo minus in stultis sensibus manichaeorum et macedonianorum, quorum isti, *vitam*, id est Spiritum Sanctum, blasphemant factum fuisse in Verbo, illi vero omnibus quae facta sunt in Verbo, id est per Verbum vitam tribuunt. Contra quos late Chrysostomus¹⁸⁸ et Augustinus. Itaque in ea lectione catholici videntur sic distinguere *quod factum est, in ipso vita erat*, haeretici vero *quod factum est in ipso, vita erat*. Sed haec quae videtur esse distinctio haeticorum habet nisi fallor quendam sensum non solum pium et catholicum sed etiam eleganter cum sequentibus cohaerentem et theologorum phrasi accommodatum: certum enim est unionem naturae humanae factam fuisse in Verbo, unde optime habet ut omnia quidem dicantur per ipsum facta, sed in ipso singulari quadam ratione factum id quod est nostrarum animarum vita, quod non solum de Incarnatione intelligi debet sed etiam de omnibus quae eam consequuta sunt, nam

¹⁸² HILARIUS, 2 De Trinitate. PL 10,63.

¹⁸³ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.8.

¹⁸⁴ AUGUSTINUS, *De Genesi ad litteram*, 1.5, c13ss. PL 34,331.

¹⁸⁵ VENERABLE BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,639.

¹⁸⁶ RUPERTUS TUICIENSIS, *Comment. In Ioannem*, 1.1. PL 169,210.

¹⁸⁷ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, 1.1, c.6. PG 73,86s.

¹⁸⁸ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.5*. PG 59,53.

quidquid factum est in Christo est nobis vita: omnia eius facta, omnia dicta, etc, ut saepe in Sacra Scriptura docemur. (Folius ad sanitatem gentium, lignum vitae, verba quae ego loquor spiritus et vita sunt). Et facit quod in graeco deest articulus in nomine *vitae* in praesenti, unde non videtur orationem referendam ad excellentiam divinitatis sed ad salutem et redemptionem in Christo nobis concessam. Et cohaeret optime ut ea redemptio dicatur vita, et lux hominum in tenebris lucens, etc. Bene, quidem, sed transeamus iam ad alteram lectionem.

2. *In ipso vita erat.* Illud *in ipso* manifeste designat Verbum sed accipiunt aliqui causative, quasi diceret virtutem Verbi divini erat vita in creaturis (sive accipiatur de vita beata, sive de vita gratiae, sive de naturali, de quo postea). Probant quia alioqui non diceret in ipso vita erat, sed ipsum Verbum vita erat et in graeco haberet articulum *vita*, sicut statim quando dicitur *et vita erat lux hominum [f.13v]*. Dico 1^o contextum postulare ut de eadem prorsus vita intelligatur quod dicitur in ipso vita erat, et vita erat lux; sed vita quae est lux identificatur cum Christo; ergo vita quae dicitur esse in ipso identificatur cum illo. Neque scio quid posit obstare contra hunc sensum, nam 1^o Christum esse vitam saepe repetitur in Sacra Scriptura, ut Jn 14 [6] *ego sum via, veritas et vita*; Colos. 3 [4] *cum Christus apparuerit. vita vestra*, et 1Jn 1 [2] *vitam quae erat apud Patrem* etc. Deinde is est procul dubio longe nobilior sensus, ut patebit infra, et tandem in divinis est modus loquendi usitatissimus: in Deo est pulchritudo, bonitas, etc, loquendo de ipsa pulchritudine Dei, et sicut vere dicitur Verbum habere vitam in semetipso, Jn 5 [26], ubi procul dubio sensus est de ipsa vita Verbi, ita in eodem sensu vere dicitur vitam esse in ipso.

3. Dico 2^o non esse exigendum ut quandocumque sermo est de vita excellentissima apponatur articulus ad designandam excellentiam, ut patet lectione 1, n.11, et sunt aliquae loquutiones in quibus fere non fert usus ut apponatur articulus, v.gr. en él hay vida, non ita apte cadit en él hay la vida et similiter Jn 5 [24] *habet vitam, tiene vida*, non bene sonat *tiene la vida*, praeter quam quod satis est ut eidem vitae statim apponatur articulus cum dicitur *et vita erat lux hominum*. Dico 3^o: quando dicitur *in ipso erat vita* non solum significari Verbum Dei esse vitam in se, sed etiam esse fontem vitae, ut appellatur Ps 35 [10] *apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen*, ubi coniungitur vita cum luce, sicut in praesenti, et fortasse ad eum locum alludit Apostolus, nam eadem etiam phrasi ipse ait 1 Jn 1 [2] vitam esse apud Patrem, id est, Verbum quod est vita esse apud Patrem. Dicitur ergo in ipso esse vitam, quasi diceret ipse est fons vitae, en él hay vida, en tanta abundancia, que la tiene para sí y para todos. Haec ergo communicatio apte significatur in hac phrasi *in ipso vita erat*, sicut et in illa *Filius Dei habet vitam in semetipso*, Jn [5,26], ut ibi evidenter patet ex contextu, nam ex eo quod habet vitam in semetipso infertur eum posse cui voluerit vitam tribuere.

4. *Sed dubitari solet* de qua ratione vitae sermo sit an de naturali in communi, vel de rationali vel de supernaturali. Nam omnibus modis competit Verbo esse vitam et fontem vitae. *Respondeo* plerosque interpretes solum respicere ad vitam naturalem vel rationalem. Imo graeci cum Chrysostomo¹⁸⁹ de vigore et conservatione rerum omnium interpretantur. Sed verisimilius est Evangelium loqui *de vita supernaturali*: 1° quia hic sensus est multo sublimior et iam satis explicaverat Ioannes omnes rerum naturas factas esse per Verbum et sine ipso neque unam illarum esse factam, sub qua universalitate manifeste comprehenderat omnia quae habent esse, vivere, sentire et intelligere. Nihil ergo opus erat declarare ea etiam quae vivunt habere vitam a Verbo sed potius Verbum esse melioris etiam vitae fontem. [f.14] 2° Quoniam saepe alibi in Sacra Scriptura Christus appellatur Vita vel dicitur habere vitam, et semper intelligitur de vita supernaturali et aeterna; ergo similiter hic. Antecedens patet quia Jn 14, Col 3, 1Jn 1 et c.5 ubi dicitur vitam aeternam dedit nobis Deus et haec vita in Filio eius est, et Ps 35 [10], *apud te est fons vitae*, ubi negari non potest sermonem esse de vita aeterna, ut patet ex contextu. Facit etiam quod Chrysostomus¹⁹⁰ et Hilarius, 2 De Trinitate¹⁹¹, consentiunt idem esse quod nunc dicitur *in ipso vita erat* atque id quod habetur c.5, *Filius habet vitam in semetipso*; sed ibi manifeste agitur de vita spirituali, ergo et hic. –3°. Quoniam contextus postulat ut eo modo Christus dicatur esse Vita, sicut appellatur Lux, sed nomen Lucis spiritualiter accipiendum est, ergo. etc. Probatur minor non solum ex assiduo Novi Testamenti usu, sed etiam ex Chrysostomo, homilia 4¹⁹², et ex Augustino et Beda¹⁹³ si attente legantur; Et ex contextu etiam, in quo proculdubio Christus comparatur soli, et Ioannes lucifero; Hugo¹⁹⁴, in Prologo In Ioannem optime applicat lucem solis Cristo, lunae apostolis, luciferi Ioanni Baptistae, stellarum caeteris fidelibus. Vide apud ipsum multa circa hoc. Et si de lumine rationis esset sermo facile erat explicare quomodo Christus illuminet omnem hominem, quia omnibus rationem largitur, et tamen Sancti multo aliter intelligunt; ergo non est sermo de lumine rationis neque de vita rationali.

5. Sed adhuc oportet magis explicare qua ratione dicitur in Verbo Dei esse vita spiritualis, et cur ea saepe appelletur vita aeterna. Et nota ante Incarnationem et precisa incarnatione id nomen tribui Christo, ut patet Jn 5 et 1 Jn 1, *annuntiamus vobis Vitam quae erat apud Patrem, et apparuit nobis*. Et hic etiam appellatur Christus Vita antequam ad Incarnationis mysterium descendatur. Et

¹⁸⁹ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.5*. PG 59,55s.

¹⁹⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.5*. PG 59,57.

¹⁹¹ HILARIUS, 2 *De Trinitate*. PL 10,58.

¹⁹² IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 5 (4)*. PG 59,58.

¹⁹³ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*. PL 92,639.

¹⁹⁴ HUGO A STO.VICTORE (?) *Allegoriae in V.T.* PL 175,638.

facit tenor loquutionis, nam sicut dixit *Deus erat Verbum*, ita ait Vita erat Lux, scilicet, ab aeterno. Praeterea habet difficultatem quid sibi velit ista coniunctio Vitae et Lucis, quam etiam invenimus Ps 35, [10] ad quem locum videtur Ioannes respexisse; et nota non solum dicere Christum esse Vitam et Lucem sed Vitam esse Lucem, in quo significat ex eo ipso quod est Vita inferri quod sit Lux hominum. Et quidem in sole invenimus quoddam huiusmodi coniunctionis vestigium, nam sol videtur esse in nobis fons vitae et fons luminis; sed aliquid maius hic nobis innuitur. *Dico 1^o* haec nomina vitae et lucis ad felicitatem saepe transferri, ut omnes norunt, et hinc est ut loquens de beatitudine David Ps 35 [10] congrue dixerit *apud te est fons vitae et in lumine tuo* etc. Et theologi saepe beatitudinem appellant vitam aeternam, iuxta Sacrae Scripturae phrasim. *2^o* *Suppono* beatitudinem consistere in perfectissimo actu intellectus, atque adeo Filium Dei esse formaliter beatitudinem Dei ex propria notione; ergo ex eadem Filius Dei est vita aeterna formalissime loquendo. *Dico 3^o* in perfecto actu intellectus formalissime includi vitam, non solum quia est operatio vitalis sed etiam quia est principium internae operationis, nempe amoris; sicut Theologi appellant vivam fidem eam quae cum debita ponderatione considerat mysteria revelata et parit debitos affectus, ita etiam maiori iure actus divinae cognitionis dicendus est formaliter habere in se vitam quando quidem ex eo procedit Spiritus Sanctus.

Dicen algunos que notitia non concurrat physice ad actionem voluntatis sed habet se sicut requisitum sed contra, ad actionem intellectus non satis est potentia intellectiva sed requiritur species quae determinando ad tale obiectum physice concurrat; ergo ad volendum requiritur praeter potentiam volitivam aliquid quod similiter determinet et physice concurrat, hoc est notitia, ergo.

[f.14v]

6. *Dico 4^o* ex eo quod perfectissimum in aliquo genere est causa reliquorum, satis intelligi quomodo Verbum Dei sit fons vitae, quia ex ea perfecta et beata cognitione derivantur omnes beatae cognitiones. Et simul etiam intelligitur quomodo eadem ratione sit fons luminis, quia in spiritualibus id dicitur illuminare a quo derivatur cognitio. Sed quia vita et lux non accipiuntur simpliciter sed supernaturaliter et cum felicitatis connotatione ideo non dicitur participare Christi vitam aut lucem nisi qui habet felicem notitiam pro ratione sui status; consistit autem felicitas notitiae in eo quod secum afferat omnia bona, ut dicitur de Sap c.7 [11], quod invenitur in visione Dei in patria, et in fide viva in via; et utraque est notitia viva quia utraque producit affectum amoris et gaudii; et utraque merito appellatur vita aeterna quia fides etiam secundum id quod est viva Dei notitia manet in aeternum, alioqui non esset felix notitia quia quod non est aeternum non includit omnia bona; et quidem fides non est vita in ratione obscuri sed in ratione cognitionis Dei, iuxta Jn 17 [3], *haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te*, etc., ex quo loco sapienter colligunt thomistae beatitudinem consistere in visione Dei, quia Christus non

loquitur de fide ut fides est sed ut est cognitio viva Dei, et si propter hanc rationem fides est vita aeterna, ergo perfecta cognitio, nempe visio Dei erit perfecta vita aeterna. Non tamen inde colligitur actum visionis esse in se perfectiorem actu amoris, quia sicut in via felicitas consistit in actu fidei vivae, et tamen ille actus in ratione cognitionis non est perfectior affectibus quos producit, sed adhuc in eo consistit felicitas ex eo quod secum affert omnia bona; ita in visione consisteret vita aeterna quamvis metaphydice essent perfectiores actus amoris, gaudii, etc. quia visio est omnium bonorum fons et origo. Sicut considerando Filium Dei et Spiritum Sanctum sicut actus notitiae et amoris, quamvis uterque sit actus vitalis et aequè perfectus, nihilominus nomen vitae magis tribuitur Filio quam Spiritui Sancto, ut patet ex Sacra Scriptura quia *qui habet Filium Dei habet vitam*, 1 Jn 5 [12] ipse enim continet omnia bona, et ex cognitione procedit amor.

Dic quomodo fides viva excludit omne malum, non solum culpae sed etiam poenae suo modo, ut Paulus philosophatur ad Rom 8; ergo viva notitia ab omni morte nos liberat.

7. Adhuc tamen merito Spiritum Sanctum appellamus vivificantem: ipse enim affectus amoris qui correspondet Spiritui Sancto et ab eo derivatur vivificat nostram notitiam, quia, primum notitia producit amorem, et deinde amor efficit magis vivam nostram notitiam, et ex magis viva notitia procedit rursus ferventior amor. Et hoc modo dicitur *ille vos docebit omnia*, etc. Sed in hac etiam loquutione vita in cognitione collocatur. Non tamen negaverim recte Gratiam appellari vitam animae necnon etiam Caritatem, sed Gratia est velut essentia viventis, et Caritas ut forma virtutum vel ut actus vitalis, sed notitia vindicat sibi nomen vitae aeternae sicut operatio quae secum adducit omnia bona. Sicut in divinis essentia Dei est vita et Spiritus Sanctus actus vitalis et nihilominus vitae nomen merito appropriatur Filio.

8. Habemus iam quomodo ratio *vitae* et *lucis* formaliter cohaereant in Christo, sicut in oculis quorum vita consistit in quadam luce innata, ut philosophi docent. Et similiter habemus quomodo nostra vita consistat in participatione luminis Verbi Dei atque adeo notitia in qua consistit nostra vita debet habere idem obiectum quod habet notitia Dei seu Verbum divinum in quo singulariter relucet divina perfectio ad intra et nostra redemptio ad extra per Christi humanitatem. Haec notitia in via est fides in Christum, et in Patria fructio; sed in Patria sufficeret visio divinitatis ad vitam, et in via non sufficeret fides divinitatis, quia ea notitia non adduceret secum omnia bona, nempe remissionem peccatorum et spem gloriae etc. Ex his patet quomodo intelligendum sit quod Christus ait, Jn 14 [6], *ego sum via, veritas et vita*, scilicet veritas et vita ex propria notione divina, et via ratione humanitatis, nam figendo in illa confidentiae et imitationis pedem pervenimus ad veritatem et vitam. Patet etiam quomodo ab eodem sole, id est, a Verbo, procedat lumen fidei et lumen gloriae,

sed lumen fidei est obscurus propter distantiam solis, quasi lux aurorae antequam sol appareat in nostro hemispherio, et ea lux paulatim crescit usque ad perfectum diem, ut habetur Prv 4 [18], *iustorum semita* etc. La misma comparación sirve para quien tiene un mismo principio: la noticia que había de Dios antes de la venida de Cristo, y la que después...

[f.15]

9. Ex dictis insurgit *dubium*, nam si viatoribus non sufficit ad vitam et lucem notitia divinitatis, ergo Verbum ex divina notione non erat vita et lux hominum sed id habet ex assumpta humanitate. *Respondeo*: quamvis Deus non redimeret genus humanum per incarnationem Verbi sed per aliud medium, ut per incarnationem Spiritus Sancti, adhuc Verbum esset vita et lux, et ab eo procederet notitia Dei et notitia mediatoris, ut patet ex dictis, sicut angelis est vita et lux et tamen eos non redemit; sed quia homines indigebant remedio et redemptione ideo non erat nobis vera vita et lux nisi indicaret remedium; sed indicare remedium pertinebat ad Verbum qua Verbum est quia suapte natura est causa cuiusvis bonae notitiae; ergo praecisa Verbi incarnatione Verbum erat vita et lux quia ipsius erat praebere felicem notitiam remedii ubicumque illud esset, sed divino consilio convenientissime factum est ut remedium esset in ipso Verbo sicut virtus calefactiva in luce, ut accedentes ad ipsum pro notitia remedii inveniremus ipsum remedium, et hanc convenientiam videtur significare Ioannes inter alias dum praesupponit Verbum esse lucem hominum ad tractandum incarnationis mysterium. Con la luz vamos a buscar el calor de la luz. Y si pusiera el remedio en otro que en su palabra, pareciera que no bastaba su palabra para remediarlo todo.

10. Verissimum ergo erat Verbum esse lucem angelorum nam ab ipso participant vitam et lucem per quam sunt beati; sed quia cum hominibus de hominum reparatione volebat agere Ioannes ideo non dixit et vita erat lux angelorum, sed solum *et vita erat lux hominum*, ut bene Chrysostomus¹⁹⁵. Et addit non dictum esse iudeorum sed hominum quia de omnium redemptione volebat agere. Vide Isaia 49 [6] *dedi te in lucem gentium ut sis salus mea usque ad extremum terrae* et Lc 2 [32] *lumen ad revelationem gentium*. Quamvis haec non tam de natura Verbi quam de Evangelii praedicatione intelligantur, nam esse lucem conveni Christo ex Verbi notione, ut vidimus, et convenit etiam ei qua ratione est verus Messias, et fortasse in praesenti nomen lucis accipiat aliquis de officio Messiae atque doctoris, sed obstat modus loquendi per illud praeteritum *erat*, et obstat etiam contextus in quo ratio lucis fundatur in eo quod est vita; adhuc tamen si cui placeat ea expositio non valde aberrabit, maxime cum Ioannes Baptista non tam de Christi divinitate quam de Messiae dignitate

¹⁹⁵ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 5*. PG 59,58.

testimonium videatur praebuisse, et Apostolus ait eum venisse ut testimonium perhiberet de luce.

[f.15v]

Et Lux in tenebris lucet

11. Vide apud Jansenium¹⁹⁶ quam varie accipiatur ab interpretibus tenebrarum nomen. Sic dicitur stulto Origenis sensu¹⁹⁷: *in tenebris lucet*, id est que non es pura lux como el Padre. Sed excusat eum Xistus, l.6, not.157¹⁹⁸. Contra excusationem tamen est ipse textus Origenis, tom.3. Sed ex dictis, cum lux significet felicis notitiae lumen, huius luminis defectus erunt tenebrae, qui defectus includit ignorantias, errores atque peccata, sicut actus boni appellantur opera lucis in Sacra Scriptura. Deinde tenebrarum nomen dupliciter potest accipi, nimirum in abstracto ut sonat, vel pro concreto, pro hominibus tenebris obvolutis, iuxta id ad Ephesios 5 [8] *eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*.

Deinde nota Jansenium¹⁹⁹ cum plerisque interpretari de illuminatione a principio mundi per internas inspirationes, sed ego non dubito quin his verbis Ioannes significare voluerit adventum Christi et Evangelii lumen, 1°: quia id aperte colligitur ex loquutionis mutatione: cum enim hactenus omnia per preteritum enunciaverit et nunc ad tempus praesens transeat, manifeste significat illum qui erat aeterna lux apparuisse mundo et in tenebris suam lucem manifestare. 2°: Id necessario requirit contextus, nam alioqui non cohaeret quod sequitur *fuit homo missus a Deo*. Atque ita multi laborant in connexionem, quae tamen aptissima et evidentissima erit si haec verba de Christi adventu, id est de solis ortu intelligantur, nam quid aptius consequetur quam hunc solis ortum pronuntiatum a lucifero fuisse. 3°: Id efficaciter probatur ex Sacrae Scripturae consuetudine quae felicem notitiam quam Christus attulit solet ea phrasi significare, ut Esaias 9 [2] (ad quem locum Ioannes videtur respexisse) *populus qui ambulabat in tenebris vidit lucem magnam, habitantibus etc Zach 6 [12] oriens nomen eius, Lc 1 [78] visitavit nos oriens ex alto. Zach. ait advenisse Christum illuminare id est ad illuminandum [Lc 1,79] iis qui in tenebris et in umbra mortis sedent. 2Cor 4 [6] Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei in facie Iesu Christi*, id est, qui in mediis tenebris fecit oriri lumen, qui voluit ut Christus appareret mundo in tenebris iacenti, sicut in principio mundi repente fecerat oriri lucem, ipse nostris cordibus quae eisdem tenebris erant obvoluta,

¹⁹⁶ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.9.

¹⁹⁷ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.2. PG 14,154.

¹⁹⁸ XISTUS SENENSIS, O.P., *Bibliotheca Sancta*, annot. 175. Venetiis 1566, p.794.

¹⁹⁹ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.9.

voluit Evangelii lucem communicare ad instar eius claritatis quam habet ipse Deus in facie Iesu Christi, id est, in Verbi divinitate. Vel ad illuminationem: a la lumbre, como quien lee una carta a la lumbre, o como quien se calienta etc a la lumbre.

12. Ergo *lux in tenebris lucet*, id est, ille qui erat aeterna lux, sed apud Patrem abscondita, iam lucet in mundo, iam lucet in tenebris, id est in iis hominibus qui merito antea appellabantur tenebrae in abstracto (nosti vim abstractorum: es la «misma maldad» etc) iam lucet in cordibus non solum iudaeorum sed etiam gentium, iam omnibus peccatoribus suam obtrudit lucem. Et hunc sensum videtur Ioannes explicasse postea cum ait *erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, (quasi diceret la verdadera luz era el que ahora convida con su lumbre, no a una nación sino a todas y a cuantos hombres hay en el mundo por malos y pecadores que hayan sido). (Facit quod in S.S. saepe Deus dicitur illuminare tenebras, id est eum qui in tenebris iacebat, ut 2Reg 21. Ps 17).

Sed dices: ante suam incarnationem omnes vocabat per internas inspirationes. (Vide illud Ps 111 [4] *exortum est in tenebris lumen rectis*. Isaia 58 [10]: *frange esurienti etc orietur de tenebris lux tua et tenebrae tuae erunt sicut meridies*. [Ps 138,12]: *Nox sicut dies illuminabitur*. *Respondeo* magnum esse discrimen, ut patet ex Sacrae Scripturae loquutione et ex effectu. Quod si velis tenebrarum nomen in abstracto simpliciter accipere ut sonat, eodem pertinebit in tenebris lucet, id est quantumvis abundaverint errores et peccatorum tenebrae non solum non amisit suum splendorem et naturam illuminatricem Filium Dei sed etiam in mediis mundi tenebris oriri voluit, ut *ubi abundavit delictum superabundet et gratia*, ubi abundarunt tenebrae superabundet et lumen. Cum quo optime cohaeret quod sequitur.

Et tenebrae eam non comprehenderunt

1. Miror interpretes non meminisse eius quod habetur Jn 12,35, *ambulate dum lucem habetis ut non tenebrae vos comprehendant*. Ex quo patet in hac phrasi non esse idem non comprehendere quod [f.16] non percipere, scl. non cognoscere, non recipere; sed quod dicimus no caerle encima las tinieblas, nam Jn 12 sumitur metaphora ab eo qui prope solis occasum iter agit, quem oportet properare antequam nox superveniat. Forsam aliter bene iam lux in tenebris lucet, ya resplandece esta luz y no han sido después parte todas las tinieblas que le han hecho guerra a obscurecerla, antes cada día luce más, etc. Hispanice etiam dicimus: comprendióle la maldición o la bendición de su padre, id est, cayóle encima. Dictum ergo erat in tenebris ortum fuisse solem, et redditur huius ratio, nempe quia non potuit a tenebris obscurari. Facit illud Sap 7 [29] *speciosior est sole et luci comparata invenitur prior*: illi enim succedit nox;

sapientiam autem non vincit malitia, quasi diceret post lucem solis supervenit nox et quasi comprehendit lucem; sapientiam autem non comprehendit malitia sed potius in hac pugna vincit sapientia in bono malum, et veluti lacessita magis exerit suas vires. Facit etiam quod alioqui in S.S. comprehendere est vincere et superare. Ut Ex 15 [9], et Ps 17 [38] *persequar et comprehendam*. Unde Chrysostomus²⁰⁰ et Theophilactus²⁰¹ qui per tenebras intelligunt mortem, explicant Christum non fuisse victum neque detentum a morte. Καταλαμβάνω Iac [1,17] *a Deo Patre apud quem non est transmutatio nec obumbratio*.

[f.16v]

Lectio 6

Fuit homo missus a Deo

1. Quidam haec cum praecedentibus hac ratione coniungunt: *tenebrae non comprehenderunt*, id est non receperunt Christum, in quo sunt omnino inexcusabiles quia praemissus fuit Ioannes Baptista, vir eximiae sanctitatis qui eum digito demonstravit. Sed iam probavimus aliud esse quod dicitur *tenebrae eum non comprehenderunt*. Jansenius²⁰² adducit alias duas connexiones sed eas ego nescio aptare contextui, et iam alias nos attulimus lectione 5, n. 11, in qua plane acquiescit animus. Adde quod tantus fuit vitae Ioannis Baptistae splendor ut aptissime faciat eius mentionem Evangelista ad indicandam excellentiam eius lucis de qua agit, quasi diceret lucem dico in tenebris illuxisse non qualemcumque sed solem in cuius comparatione vix meretur Ioannes luciferi nomen. Et notant hic Chrysostomus²⁰³, Theophilactus²⁰⁴ et Euthymius²⁰⁵ quanta fuerit sanctitas Baptistae quandoquidem opus fuerit dicere *non erat ille lux* etc. Fortasse tamen non id addidit Apostolus ne quis Baptistam putaret fuisse Messiam, quia non videtur eius erroris periculum ullum fuisse quando haec scribebantur et videntur haec verba melius posse connecti hac ratione: iam sol iustitiae ortus est mundo et ante eum premissus est eximius sanctitatis vir ut de illo praeberet testimonium irrefragabile, nam quamvis testis non erat ipsa lux, erat tamen sufficiens ad eiusmodi testimonium, tantus in eo fuit sanctitatis splendor et tanta integritatis opinio. No bastante para alumbrar pero bastante para certificar que Cristo era Luz; como el lucero que aunque no puede dar luz, puede certificar,

²⁰⁰ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 5*. PG 59,58.

²⁰¹ THEOPHILACTUS, *Enarr. in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1147.

²⁰² CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.10.

²⁰³ IOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 6*. PG 59,62.

²⁰⁴ THEOPHILACTUS, *Enarr. in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123, 1149.

²⁰⁵ EUTIMIO ZIGABENO, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1115.

etc. Itaque non agitur simpliciter de testimonio sed de eo quod neque ipsi maligni pharisei calumniare poterant apparenter. Vide postea, n.3.

Nosti eleganter explicationem nominis contineri in cantico Zachariae et B. Virginis. Vide Jansenium²⁰⁶ ibi *ad faciendam misericordiam et memorari testimonii sui, iuresiurandum* etc.

2. D. Thomas²⁰⁷ notat de Christo dictum esse *erat Verbum*, de Ioanne *fuit homo*, sed unde sumatur discrimen solidius docet Jansenius²⁰⁸ ex graeco et ex Cyrillo²⁰⁹. Deinde nota hic Origenis errorem²¹⁰ qui Baptistam existimavit esse angelum incarnatum et multos etiam angelos carnem assumpsisse in obsequium Domini sui. Occasione huius erroris bene perpendit Jansenius et explicat cur Ioannes dicatur homo, et cur *missus a Deo*, cur notetur nomen eius, et cur opus fuerit testimonio illius. De quo vide Jn 5,35: *vos misistis ad Ioannem et testimonium perhibuit veritati; ego autem non ab homine testimonium accipio* etc. Probat etiam Jansenius bene contra Caietanum, quando dicitur *ut omnes crederent per illum* τὸ *per illum* designare Ioannem, et explicat quomodo omnes per illum credituri erant.

3. *Ut testimonium perhiberet de lumine*, id est de lucis adventu. Unde quamvis in graeco sit eadem vox quam noster interpret modo vertit *lucem*, modo *lumen*, sed non videtur sine consilio variasse, ut *lux* designaret naturam Verbi illuminatricem, et *lumen* adventum et officium Christi, nam in rigore lumen videtur esse lucis effectus, quamvis non semper servetur hoc discrimen. Malach 3, Lc 1 [79], Ps 131,17, *paravi lucernam Christo meo*, Cyrillus²¹¹ explicat de Ioanne. Porro testimonium Ioannis irrefragabile fuisse ostenditur ex Prophetiis de ipso, ex miraculis in eius ortu et conceptu, ex munere divinitus revelato, ex stupenda sanctitate et ex re ipsa ab omni suspicione libera quandoquidem ipse alterius luce videbatur obscurari. Si decía verdad hominum interitum, y si mentía a sí mismo se destruía pues se quitaba la honra por darla a un embaucador, etc. Deinde si fides habeatur testi non potest dubitari de quo ferat testimonium quia digito eum demonstrat. Et tandem notat Rupertus²¹² Ioannem non solum verbis sed etiam factis testimonium perhibuisse, quia nascendo pronunciavit Messiam mox nasciturum, praedicando mox praedicaturum, baptizando mox lavaturum et moriendo mox moriturum. Et omnia haec innuit tacite cum ait Ioannem venisse *ut testimonium perhiberet de lumine*. Quando vero

²⁰⁶ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.40s.

²⁰⁷ THOMAS AQ., *In Ioanis Ev. Expositio*, c.1. Ed. Vivès, t.19, p.699.

²⁰⁸ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.11.

²⁰⁹ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.7. PG 73,106.

²¹⁰ ORIGENES, *Comment. In Ioannis Ev.*, t.2. PG 14,167.

²¹¹ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.7. PG 73,110.

²¹² RUPERTUS TUICIENSIS, *Comment. In Ioannem*, l.1. PL 169,215.

subdit *non erat ille lux* significat quidem eum fuisse existimatum Messiam a quibusdam, non tamen propterea id ait ut eum errorem condemnet qui iam satis evanuerat, sed potius ut pro baptista respondeat et reddat rationem cur [f.17] non claruerit miraculis, cur oblatum honorem respuerit, cur nomen eius una cum vita quodammodo videretur extinctum, cur coelesti doctrina gentes non illustraverit. Ad haec omnia Evangelista: *non erat ille lux*, quasi diceret: verdad es que no era él la luz, como algunos pensaron, y lo que no tuvo, convenía que no lo tuviese porque no era luz.

4. *Sed quid erat? – Ut testimonium perhiberet de lumine.* Nota novam et admirabilem definiendi rationem in qua explicatur quid sit Ioannes Baptista, nam qui ait *non erat ille lux sed ut testimonium* etc. perinde est ac si diceret non erat lux sed erat ut perhiberet testimonium. Ex fine explicatur quid sit Ioannes: est enim insigne quodam opus Dei ad eum finem factum; atque adeo quidquid in Ioanne invenimus mirifice quadrat cum eo fine, ut austeritas vitae, libertas linguae, honorum repudiatio, dissimilis habitus, miraculosa sine miraculis sanctionia, et magna ab ipso conceptu expectatio divinitus promissa, denique non solum ipsius nomen sed etiam nomina parentum, in quibus significabatur misericordiam, quam Deum fecisse Ioannes significabat, ortam fuisse ex Dei memoire et iuramento, ut elegantissime significavit Virgo Mater in suo cantico (*Recordatus misericordiae suae sicut loquutus est*) et postea Zacharias in suo (*ad faciendam misericordiam* etc. *memorari testamenti sui, iusiurandi quod loquutus* etc), de quo vide Jansenium²¹³, c.2, Concordiae, super his verbis, *et vocabis nomen eius Ioannem*, ubi bene expendit quid proprie significet nomen Ioannis.

5. *Non erat ille lux.* Bene Jansenius²¹⁴. Sed nota Apostolos, Mt 5, appellari *lucem* cum articulo ubi dicitur *vos estis lux mundi*. Sed comparati cum Christo, *sicut nemo bonus nisi solus Deus*, ita nemo lux nisi Christus. Non tamen caret mysterio quod nomen lucis cum articulo communicetur Apostolis, Ioanni vero solum nomen lucernae vel luciferi, nam Christus est Sol iustitiae, Apostoli vero velut luna quae non solum sibi recipit lumen sed universo eam communicat, Ioannes veluti lucifer qui non factus est ut illuminet sed ut prenuntiet lumen, caeteri fidelium ut stellae quae lucem eandem participant sed non tam ut illuminent mundum quam ut lumine decorentur. De hac luminum distinctione vide Hugonem²¹⁵ in Prologo in Ioannem ubi multa adducit.

²¹³ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.19.

²¹⁴ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.11.

²¹⁵ HUGO DE S. VICTOR, *Liber quintus in Joannem*, c. II, PL 175,836.

**Erat lux vera quae illuminat omnem hominem
venientem in hunc mundum**

6. De illo adiectivo *vera* optime Jansenius²¹⁶. Deinde nota, ex Augustino, Cyrillo²¹⁷ et Montano, in graeco ambiguum esse an illud participium *veniens* sit in accusativo vel nominativo, atque adeo posset etiam verti lux vera illuminat omnem hominem veniens in mundum. Noster interpretes sequutus est communiorem graecorum explicationem et quae Cyrillo²¹⁸ magis probatur; sed cum uterque sensus subesse possit graecae lectioni neuter est reiiciendus. Certe, quod lux aeterna veniens in mundum per incarnationem omnibus hominibus lumen attulerit, sensus est appositissimus, et eisdem verbis explicatus Jn 12 [46] ubi dicitur *Ego lux in mundum veni*, et in praesenti cohaeret optime cum contextu, nam iam est sermo de adventu Christi, ut probatum est lectione 5, n. 11, atque is sensus omnino caret scrupulis. Sequendo tamen vulgatam lectionem vide in Jansenio²¹⁹ varias explicationes et rationes cur additum sit *venientem in hunc mundum*, et quomodo Christus dicatur omnes illuminare. Quod tamen omnino videtur intelligendum de illuminatione supernaturali imo vero de lumine Evangelii, et propter ea quae attulimus lectione 5, et propter communem scriptorum explicationem excepto Cyrillo²²⁰, qui tamen c.9 disputat optime contra errorem Origenis qui ex hoc loco colligebat animas hominum multo ante corpora creatas fuisse. Vide D.Thoma, 1 p., q.19, a.6 ad 1²²¹.

7. Si quis velit Cyrillum sequi connectat hac ratione: *Erat lux vera* etc, id est, ille nobis advenit lux et lumen Evangelii attulit, qui ab initio illuminabat omnes. Sed simplicius est e converso construere erat lux vera quasi diceret aeterna lux erat illa quae nunc orta est ut omnes illuminet vel cuius lucem participant quotquot illuminantur vel cuius natura est omnes illuminare sicut dicitur Deus Salvator omnium, 1 Tim 4.[10] Vide supra lectione 5, n.12.

[f.17v]

²¹⁶ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.11.

²¹⁷ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.8. PG 73,111s.

²¹⁸ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,130.

²¹⁹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.12.

²²⁰ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,131s.

²²¹ THOMAS AQ., *1p., q.16, a.6 ad 1*. Ed. Vivés t.1, p.131.

**In mundo erat et mundus per ipsum factus est
et mundus eum non cognovit**

8. Haec verba intelligunt de Verbo antequam incarnaretur, Chrysostomus, homil.⁷²², Augustinus, tract.2, Cyrillus²²³, Beda²²⁴, Theophilactus²²⁵, Euthymius²²⁶ et fere omnes, et nihilominus optime cohaeret ut iterum repetatur non tunc incepisse lucem cum in mundum venit per Incarnationem, quia ab initio in mundo erat et antiquior etiam mundo, qui fecit illum. Quomodo vero Deus dicatur esse in mundo per essentiam, potentiam et presentiam, scholasticis relinquo. Solum nota illud Aristotelis de mundo ad Alexandrum ubi ait Deum esse in mundo ut gubernator in navi, ut auriga in curru, corifeus in coro, dux in exercitu, lux in civitate, rex in regno, animus in corpore. Aliter connectit D.Thomas²²⁷, et bene, nempe dictum esse *in mundo erat* etc, ne putaretur aliquos non fuisse illuminatos defectu lucis, et additum esse *mundus per ipsum factus est* ut ostendatur ex creaturarum cognitione potuisse opificem evidenter cognosci, de quo Sapientia 13 [13], et ad Rom 1 [20], et tamen *mundus eum non cognovit*. Sed occurrunt hic *tria dubiola*:

9. *Primum* est cum quo antecedenti concordet illud relativum *eum*, quod similiter in graeco est masculinum, atque ita non potest referri ad lucem vel ad lumen, quibus in graeco respondet nomen neutrum. Jansenius²²⁸ existimat in graeco referri ad λόγος, atque ita si noster interpretes advertisset transferendum fuisse et mundus id non cognovit, ut concordet cum Verbo. Alii aiunt corruptam esse interpretis lectionem eo quod ille necessario transtulerit in neutro. Sed hoc est optatum potius quam inventum, et quidem ego mihi persuadeo optime habere nostram lectionem, quia credo in graeco relativum non referri secundum vocem ad λόγος, ineptissimum enim est ut relativum referat id quod relictum erat per 7 aut 8 versus. Cerne grammaticorum aures multo aequius ferent ut contemnatur concordia in voce et attendatur ad rem, vel aliquid subaudiatur. Et contextus non solum permittit sed etiam postulat ut iam sit veluti digito designatus homo ille Christus Iesus qui est Verbum, Vita, Lux, etc. Dictum enim est Ioannem venisse ut testimonium perhiberet de lumine, nempe designando quen-

²²² JOANNES CHRYSÓSTOMUS, *In Ioannem homil.* 8(7). PG 59,68.

²²³ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,147.

²²⁴ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92, 640.

²²⁵ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1149.

²²⁶ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 1291118.

²²⁷ THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Expositio*, c.1. Ed Vivès t.19, p.704s.

²²⁸ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.12.

dam hominem; relativum ergo *eum* refert hominem de quo testificatum est. Hoc nisi fallor, et leges grammaticae facile permittunt, et aptissimum est ad Christi honorem et ad intentionem Apostoli, qui paulatim ostendere volebat se loqui de suo Magistro, incipiendo primum ab appellatione Verbi, Vitae, Lucis, etc; deinde per relativum quasi designando, et tandem eius nomen proferendo. Et facit quod habetur 1^o capite *Verbum caro factum est et Ioannes testimonium perhibet de ipso dicens hic erat quem dixi*, ubi nondum est prolatum eius Nomen et tamen illud *hic* refertur ad Iesum et non ad Verbum antecedens, nec enim Baptista dicebat *hoc Verbum*, sed *hic Homo*. (La discreción del Apóstol)

10. *Alterum dubium* est an illa verba *mundus eum non cognovit* referantur ad cognitionem proprietatis personalis, ut existimat Caietanus. Nam si ita est non id erit accipiendum tanquam mundi culpam, sed tanquam ratio Incarnationis; quasi diceret: quia mundus non cognovit Trinitatis mysterium ideo Filius Dei factus est homo, ut id manifestaret. Et facit pro Caietano illa phrasis mundus per ipsum factus est, quae Verbi notionem continet, ut supra, lectione 4, n.8. Nihilominus dico multo aptius esse ut non adeo formaliter haec accipiantur de Verbo ut Verbum est, quia non fuit precipua Incarnationis ratio voluntas docendi Trinitatis mysterium neque ea ratione cohaeret bene contextus neque relativum *eum* in presenti refert Verbum ut Verbum est, ut supra vidimus. Sed obiicies: si relativum ad hominem referatur, propositionem debere intelligi de Verbo post Incarnationem, contra communem Sanctorum explicationem. Respondeo notum esse in theologia vere de Christo dici hic Homo creavit mundum, sed mundus eum non cognoscebat, nempe tanquam Dei Sapientiam et tanquam mundi artificem, et propterea factus est Homo. In hoc ergo sensu debet intelligi propositio Apostoli relictis aliis.

[f.18]

11. *Tertio dubitatur* quomodo sit apta ratio in qua mundus accipitur aequivoco (ut bene notat Jansenius²²⁹). Respondeo vim rationis in eo consistere quod homines debuissent cognoscere eum qui erat in mundo et per quem factus est mundus, cui rationi nihil obstat quod ipsi homines appellentur etiam mundus, imo hoc addit orationi gratiam atque decorem. Adde quod si bene perpendatur cur homines tenebantur agnoscere creatorem, apparebit sapientissime ipsos homines appellatos fuisse mundum in presenti, nec enim solum tenebantur ad vitandam stultitiae notam sed etiam ut ingratitude infamiam a se averterent. Porro grati animi officium non solum debebat homo pro se tanquam mundi pars sed etiam pro universo corpore tanquam caput, et pro universa dote et supellectile tanquam dotatus atque ditatus. Ergo quod attinet ad gratitudinem homo sustinet mundi personam, ad quem spectat et suo et totius mundi nomine agnoscere et venerari creatorem, nam caeterae creaturae non habent aliud os ad gratias agendas neque

²²⁹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.12.

sibi aliquid proprie acceperunt sed homini. Et hinc est ut homines sibi vindicent nomen mundi et similiter nomen universae creaturae, Mc ultimo [16,15]. Ergo si homines agnoscant Deum, mundus agnoscit Deum, et si homines sint ingrati, ea maculat contaminant universum. Et propterea non solum dicitur Deum delevisse homines peccatores, sed etiam eorum urbes atque regiones.

12. Quod ergo dicitur (*mundus eum non cognovit*) non solum significat mundanos homines non agnovisse Deum, sed totius mundi arguit caecitatem, nam mundi nomen universitatem complectitur atque ita legitimus sensus est ante Christi adventum summam fuisse omnium hominum ignorantiam et ingratitude erga Deum. Neque obstat paucorum fides atque religio quia parum pro nihilo reputatur, et quia eos paucos ante Solis ortum scimus illuminatos fuisse a Christo venturo, sicut stellas in nocte, et non essent illuminati nisi postea oriturus esset iustitiae Sol. Unde omnino verum est mundum sine Christo in summis tenebris iacuisse et omnes peccasse et indignasse, id est caruisse gloria apud Deum, ut Paulus docet Romanos [1,18].

Sed obiicies: Paulus tribuere mundo notitiam Dei sed negare gratitudinem, ait enim *cum Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt*, quomodo ergo Ioannes ait *et mundus eum non cognovit*. Respondeo 1° Paulum ibi de iudaeis et philosophis loqui, qui comparati cum caeteris hominibus fuere paucissimi, et parum pro nihilo reputatur. (*Qui confitentur se nosse Deum factis autem negant*). Respondeo 2° Ioannem loqui de cognitione quae secum afferat affectum et amorem. Sicut hispanice appellamus nuestros conocidos, id est amicos vel familiares. Unde est illud Mt 25 [12] *nescio vos*.

In propria venit, etc

13. Dupliciter et bene Jansenius²³⁰, et utroque modo exponere videntur Chrysostomus²³¹, Theophilactus²³², Euthimius²³³, Augustinus et Beda²³⁴. Sed Cyrillus²³⁵ et Rupertus²³⁶ de iudaeis potius interpretantur, et merito. 1° quia *in propria* idem est quod *in sua*, graece εἰς ἴδια, sicut postea, c.19 [27] *accepit eam discipulus in sua*, id est in suam domum; atque ita clarius respondent sibi partes huius sententiae *in sua venit et sui eum non receperunt*, nam eadem est distinctio in graeco. Quod vero populus Dei peculiariter diceretur domus Dei

²³⁰ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.12.

²³¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 9*. PG 59,69.

²³² THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1151.

²³³ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1118.

²³⁴ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. expositio*. PL 92,640.

²³⁵ CYRILUS AXEJANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,150.

²³⁶ RUPERTUS TUICIENSIS, *Comment. In Ioannem*, l.1. PL 169,218.

et haereditas Domini notissimum est ex Sacra Scriptura, *quoniam Iacob elegit sibi Dominus, Israel [f.18v] in possessionem sibi* Ps 134 [4]; et Sapientiae dicitur Eccli 24 [13] *In Iacob inhabita et in Israel haereditare*; et cum absolute dicitur in Psalmis *haereditas Domini* semper de eo populo intelligitur, ut Ps 17, 46, 78, 93, 126. Ps 32,12: *beata gens cuius est Dominus Deus eorum, populus quem elegit Dominus in haereditatem sibi*. Ergo cum hic absolute dicatur *venisse in sua*, id est in suam domum et haereditatem, eodem modo intelligendum est. Probat 2^o, quia merito notatur iudaeorum impietas in eo quod Christum se ultro eis offerentem respuerint, sed ea nota non videtur inuri posse universum genus hominum; ergo de iudaeis intelligitur quod Ioannes ait *et sui eum non receperunt*. Vide Mich 6 [14] *apprehendes et non salvabis et quos salvaveris in gladium dabo*. Ad hoc tamen responderi posset Ioannem agere de receptione quae fit nomine totius communitatis. Et sicut iudaei publica auctoritate decreverunt non recipere Christum, ita etiam gentes usque ad id tempus suis edictis resistebant, quamvis multi peculiariter Christum reciperent sicut nonnulli ex iudaeis. Atque ita quamvis praedictum sit *et sui eum non receperunt*, nihilominus sequitur *quotquot autem receperunt eum*. Ad haec dico quod *suum* nomine manifeste designat iudaeos qui Christum quem presentem habebant non receperunt. (No se dice los suyos sino a diferencia de los extraños).

14. Ultimo nota contextum requirere ut quando dicitur *quotquot autem receperunt eum* sermo sit de iis qui crediderunt ex eo populo qui dicitur eum non recepisse, et quamvis posit extendi sensus ad alios, saltem hic est magis proprius, et in eo videtur Ioannes tangere excellentiam illorum primitivorum christianorum ex iudaeis quibus peculiari quadam ratione potestas filiorum Dei concessa est, et ut fruerentur Christi presentiam, concionibus atque miraculis. Et quidem Ioannes ut apertius significaret de quibus loqueretur transtulit sermonem ad primam personam dicens *et habitavit in nobis et vidimus* etc regalándose con la memoria de haber sido él uno de ellos y el más allegado etc. (Nosti ad Rom 9 [28] *Verbum abbreviatum faciet Dominus* etc).

Itaque ego sic construo sequentia: *quotquot autem receperunt eum* credentes eum esse Messiam, quem audiebant et videbant, eis singulari quadam ratione tribuit potestatem filiorum Dei per quandam non carnalem nec humanam sed plane divinam nativitatem, et ii etiam consequuti sunt ut Verbum Dei Caro factum habitaret inter eos, et viderunt eius miracula et audierunt eius conciones et ab eo acceperunt peculiarissima beneficia, sed de his latius lectione sequenti.

Lectio 7^a
Dedit eis potestatem filios Dei fieri

1. Suppono 1^o, ex Jansenio²³⁷ contra Caietanum, eosdem esse qui dicuntur *nati ex Deo* et quibus Christus *dedit potestatem filios Dei fieri*, quia in graeco non potest relativum masculinum referre filios Dei qui dicuntur *tecna* in neutro, atque ita dubitatur quomodo cohaereat ut qui iam sunt nati ex Deo dicantur habere potestatem ut fiant filii Dei. Ad haec optime Jansenius ex graeco (ἐξουσία) et ex Cyrillo²³⁸ et ex contextu probando nomen potestatis accipi debere pro auctoritate et dignitate et *fieri* pro *esse*, ut sensus sit *dedit eis dignitatem ut sint filii Dei*. Et quidem *potestas* eo modo saepe accipitur in Sacra Scriptura (Rom 13 [1]; Mt 7 [29].) Sed si quis velit aliter intelligere, ut nati ex Deo dicantur nondum esse filii Dei sed habere potestatem ut fiant filii, relictis aliis coactis expositionibus poterit sequi Chrysostomum²³⁹, Theophilactum²⁴⁰ et Euthymium²⁴¹ qui sic videntur interpretari, nempe eos qui nati sunt ex Deo per gratiam habere ius ut fiant filii per gloriam, nam augustissimum filiorum Dei nomen saepe appropriatur beatis et maxime post resurrectionem. Atque ita de Christo ait Paulus ad Rom 1 [4] decretum **[f.19]** fuisse a Deo ut oriretur Filius Dei *ex resurrectione*, nempe cum maiestate et gloria. Et Lc 20 [35] ait Dominus: *illi qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis coaequales angelis sunt et filii sunt Dei cum sint filii resurrectionis*. Nosti illud Ps [2] *ego hodie genui te*, de resurrectione ab Apostolis explicari [Act 13,33]. Facit illud ad Rom 8 [19] *expectatio creaturae revelationem filiorum Dei expectat*. Quod si obiicias in revelatione supponi eos antea fuisse filios Dei. Respondeo eam revelationem esse veluti nativitatem, et quidem in ventre matris puer iam erat filius sed quia nondum apparebat neque communi huius lucis usura fruebatur ideo videtur nondum fuisse perfecte filius et perfecte similis patri, unde nasci est veluti accipere esse, et tunc pater dicitur accepisse filium a Deo quem antea habebat in spe. Nativitas ergo per quam beati nascuntur filii Dei et similes Deo in perfecta gloria est resurrectio, ut patet Lc 20 [36], atque ita Christus qui erat perfecte Filius Dei per proprietatem personalem, per unionem hipostaticam, per gloriam et per visionem Dei, quae assimilat hominem Deo, nihilominus vere dicitur natus Filius Dei per resurrectionem, quia tunc, et ut Homo, accepit gloriam, imperium et maiestatem et divinitatem, et ut Deus agnoscitur in mundo et veneratus ab omnibus creaturis est, ut loquitur Ioannes

²³⁷ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.13.

²³⁸ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,151.

²³⁹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.* 19. PG 59,75.

²⁴⁰ THEOFILACTUS, *Enarr. in Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1151.

²⁴¹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment in Ioannem*, c.1. PG 129,1119.

in Apocalypsi, atque adeo assimilatus est Deo quatenus Homo in universali imperio et dominatu, ad cuius participationem resurgunt caeteri beati.

2. Adhuc tamen magis placet ut in presenti potestas sonet dignitatem et excellentiam, sed haec excellentia, ut dixi lectione 6^a in fine, omnino videtur referenda ad eos qui pie cum Christo conversati sunt, nimirum ad Apostolos, discipulos, etc; de iis enim loquitur contextus et eis dedit Christus excellentiam et Spiritum filiorum Dei, sive peculiariter potestatem ut fiant filii Dei. Pro quo nota omnes quidem iustos per gratiam constitui filios Dei quantum ad habitum, sed quantum ad modum vivendi eis appropriat Sacra Scriptura nomen filiorum Dei *qui Spiritu Dei aguntur*, ut patet ex Paulo ad Romanos 8 [14]. Vide lectione 3, n.10 et 11.

3. Perpende igitur eam vitae institutionem in qua omnia dirigantur ad maiorem Dei gloriam, et nihil homo curet honores, divitias etc. vix inveniri in Veteri Testamento, atque adeo eam esse a Filio Dei in mundum allatam, et merito qui eum imitantur appellari filios Dei, sicut platonicos qui sequuntur Platonem. Adde quod in Veteri Testamento non videtur adeo curatum a iustis de aliorum salute, sed in lege gratiae statim ac Christus ortus est ex resurrectione Filius Dei secundum Spiritum Sanctificationis, id est, con Spiritu de sanctificar, de caelo misit Spiritum Sanctum et instituit filios suos ut essent filii Dei atque adeo quodammodo productores Spiritus Sancti, et propterea tam ardenti studio animarum saluti incubuerunt. Vides ergo quomodo haec filiorum Dei excellentia fuerit peculiaris eis qui a Christo sunt instituti; quod si dicas id vitae genus ad multos alios dimanasse. Respondeo non id negari a Ioanne in praesenti: solum enim ait eis fuisse datam eam magnam potestatem, ad quam tamen Christus multos alios efficaciter vocavit sed ad illius fidelitatem pertinebat ut quoniam ad oves Israel primum erat missus, ex eo genere primum eligeret quos eius vitae filialis spiritu replet abundantius et per quos ille ignis in mundo accenderetur, et rationi consonum erat eos ad eam dignitatem eligere qui cum ipso pie conversati fuerant in mundo.

4. Quod vero deinde ad eandem filiationem alii sint adoptati hoc potius commendat Apostolorum et discipulorum potestatem sive excellentiam utpote qui non solum potuerint per gratiam Dei se ipsos tales efficere sed etiam multos alios sibi similes gignere, et fortasse in hoc sensu accipi possunt verba Evangelistae *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, id est, ut per eos fierent homines filii Dei, et hoc *iis qui credunt in nomine eius*, id est in favorem credentium, quasi diceret dioles para los creyentes poder de que por ellos fuesen hechos hijos de Dios. Similis [f.19v] locus est ad Romanos 1 [5] *per quem accepimus gratiam et apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus*, id est, ut per nos obediatur fidei. Denique sive haec potestas referatur ad fideles qui cum Christo conversati sunt et illi peculiariter dicantur filii Dei, sive referatur ad

universam Ecclesiam, utrovis modo non est intelligendus Apostolus precisisse de statu gratiae sed de illo spiritu filiorum qui est proprius legis evangelicae, et de quo ipse Ioannes saepe meminit. Vide etiam ad Ro 8,15, *non accepistis* etc. Et vide Jansenium²⁴² super illud *ex Deo nati sunt*, ubi notat ex Cyrillo²⁴³ et Theophilacto²⁴⁴ id esse proprium legis evangelicae.

5. *Iis qui credunt in Nomine eius*. Graece *in Nomen eius*. Saepe tamen noster interpres utitur praepositione *in* cum ablativo pro acusativo, ut in hac eadem phrasi, ut capite 2 in fine [23], et c.3 in medio [18]. Porro, credere in Nomen Christi idem est quod credere in Christum, ut Jn 17 [6] *manifestavi Nomen tuum hominibus*, id est hinc que te conociesen: sumitur enim Nomen pro re cuius est nomen, et est haebreus-hispanismus, ut el nombre de los Guzmanes no debe nada a ninguno, id est guzmanorum familia nullam aliam agnoscit superiorem. Sunt qui velint in praesenti *nomen* sumi pro fama et maiestate, sed simplicior et aptior apparet supradicta expositio. *Iis qui credunt in nomine eius qui non ex sanguinibus*, id est a los que así creen, que no nacieron de carne sino de Dios.

Deide dubitatur quomodo *in praesenti* dicatur *iis qui credunt*, si sermo sit de Apostolis et discipulis qui erant iam fere omnes mortui. Respondeo praesens poni pro praeterito, ut saepe alibi, id quod in graeco facilius fuit eo quod sit participium, hac ratione: *dedit eis potestatem filios Dei fieri credentibus in Nomen eius*. Porro fides haec intelligi debet de fide divina et nihilominus significatur immensa Dei liberalitas qui credentem facit filium. (De aquella distinción credo Deo, Deum et in Deum, cur non etc.)

6. *Qui non ex sanguinibus* etc. Quomodo per haec designetur carnalis generatio, vide Jansenium²⁴⁵, et nota cum Augustino explicare Bedam²⁴⁶, D. Thomam²⁴⁷, Cyranum, interlinealem, Caietanum, Arboreum atque Montanum. Sed non est quod valde nitantur in illa plurali voce ex sanguinibus, quia graeci auctores frequenter dicunt Christum generatum esse ex sanguinibus Virginis, ut ait Damascenus²⁴⁸, libro 3 De fide, c.2, et sanguinem foeminae puriorem esse potissimum materiam factus, docet Aristoteles, 1^o De generatione animalium, c.20, et S. Thomas, q.31, a.5, et favet Sacra Scriptura, Sap 7 [2], atque ita aptius esset per sanguines intelligere mulieris menstrua cum Theophilacto et Jansenio²⁴⁹, et per voluntatem carnis concupiscentiam carnalem, et per volun-

²⁴² CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.14.

²⁴³ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,154.

²⁴⁴ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123 1153.

²⁴⁵ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.13s.

²⁴⁶ VENERABILIS BEDA, *In Ioannis Evang. Expositio*, c.1. PL 92,641.

²⁴⁷ THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Expositio*, c.1. Ed. Vivès, t.19, p.710.

²⁴⁸ JOANNES DAMASCENUS, *De Fide orthodoxa*, l.3, c.2. PG 94,986.

²⁴⁹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.14.

tatem viri appetitum posteritatis et sobolis propagandae, qui potissimum in viris existit qui principes generationis sunt et quorum nomen et genus et memoria magis conservatur in filiis, quae voluntas saepe oritur ex vanitate et superbia et saltem est terrena atque caduca.

7. Nihilominus ista expositio videtur aliquantulum coacta, et multo coactor illa quae per carnem intelligit foeminam propter infirmitatem, quia ea carnis acceptio non reperitur in Sacra Scriptura; quod vero adducunt ex Gn 2 [23] *hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne*, non magis facit pro foemina quam pro viro, alioqui probaret etiam ossis nomen esse proprium foeminae. Sunt qui per sanguinem velint intelligere peccatum originale, quia usitatissimum est in S.S. ut sanguis plurali numero peccata significet, ut Ps 5 [7] *virum sanguinum et dolosum abominarur Dominus*; Ps 50 *libera me de sanguinibus*; Oseae 4 [2] *et sanguis sanguinem tetigit*. Hic *sanguines sanguines [f.20] tetigerunt* unos peccatos se alcanzan a otros sin que haya un punto de vagar. Isaias [1,15] *manus vestrae sanguine plenae sunt*. Quod vero peccatum originale in plurali numero dicatur *peccata*, quoniam est omnium peccatorum origo notum est ex Ps 50 *in iniquitatibus conceptus sum*.

Sed contra hanc expositionem est quod nemo dixerit hominem ex suo peccato originali nasci, quia meum peccatum originale nullo modo fuit principium ex quo. Nisi dicas abstractum poni pro concreto et dici *ex sanguinibus*, id est ex conceptione polluta et sanguinolenta propter peccatum originale quod per eam contrahitur. Sed hoc etiam est duriusculum et caetera non admodum cohaerent. Jansenius²⁵⁰ coniungit carnem et sanguinem iuxta phrasim Sacrae Scripturae, sed plane id non habet in presenti locum quia cum in promptu esset dicere *non ex carne et sanguine sed ex Deo*, multo diversa forma dictum est ex sanguinibus in plurali et interpositum voluntatis nomen.

8. Vide ergo an forsam comprehendere voluerit Ioannes his tribus notis tres filiorum rationes nobis compertas, nam quidam sunt filii illegitimi ex parentum peccatis atque adeo ex sanguinibus nati, alii nati sunt ex legitimo connubio atque adeo non ex peccatis sed saltem ex carnali concupiscentia, alii vero ab hominibus adoptati sunt in filios atque adeo neque nati ex peccatis neque ex voluntate carnis sed saltem nihil amplius quam ex viri voluntate. Utcumque sit, sensus est filios Adae esse impuros, carnales et saltem non plus quam homines; sed Christi discipulos ortos esse ex Deo atque adeo non iam impuritatem redolere neque carnis desideria sequi, neque humana curare, sed Dei similitudinem referre. Vide illud Jn 3,6 *quod natum est ex carne caro est, quod natum est ex Spiritu, spiritus est*.

²⁵⁰ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.14.

9. *Sed ex deo nati sunt.* Si quis velit construere cum Chrysostomo, ut supra dictum est n. 1 optionem ut nomine nativitatis intelligat generationem, ut in hac vita filii Dei in rigore dicantur geniti sed nondum nati, et quidem in graeco idem est verbum in praesenti quod Mt 1 ubi toties repetitur *Abraham genuit Isaac, Isaac autem genuit etc.*, sed sive in nativitate sive in generatione semper importatur similitudo, et quidem haec similitudo filiorum Dei cum Deo consistit 1° in gratia, per quam homo fit *divinae consors naturae* atque adeo habet esse supernaturale sicut Deus. 2°, in vita spiritali et munditia ab omni labe et peccato. 3°, in virtute faciendi opera divina qualia facit Deus, iuxta illud Mt 5 [45] *diligite inimicos vestros ut sitis filii Patris vestri etc.* In his tribus consistit filiorum nomen, et ad haec consequitur ius haereditandi bona paterna, quod videtur hominibus cum spiritu filiorum advenisse, nam ante Christi glorificationem nulli patebat aditus in coelum *neque fuerat Spiritus datus quia Iesus nondum erat glorificatus* Jn 7 [39].

10. Ratio oppositionis videbatur postulare ut non tam explicaretur huius generationis parentes quam materia vel forma et modus generationis, quia quod dictum est *non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri*, potius designat materiam aut modus carnalis generationis quam eius parentes. Ergo similiter in filiis spiritalibus non tam explicandum erat de quienacem, como de qué nacen. Respondeo utrumque simul intelligi, et fortasse voluit Evangelista ex ipsa oppositione tacite significare discipulos Christi natos esse ex Deo, id est, ex Sanguine Dei et ex Carne Dei et ex voluntate et beneplacito divino; hoc est, tam excellentem discipulorum sanctitatem ortam esse ex Sanguinis Christi effusione in Cruce et ex Carnis [f.20v] Christi communionem in altari, et demum ex Spiritu Sancti qui est actus divinae voluntatis larga benedictione et descensu super ipsos. Vel intellige de Sanguine effuso in Cruce et Carne patibulo affixa, vel de Sanguine tanquam potum et Carnem tanquam cibo in Eucharistia. Quod si obiicias sanguinem supra positum esse pro peccato atque adeo non bene habere ut ex sanguine Dei, id est ex peccato Dei orti dicantur discipuli, Respondeo non opus esse ut in applicatione respiciatur ad peculiarem phrasim secundum quam singula verificantur in altero membro, sed satis est ut ad propriam eius nominis significationem attendatur, alioqui nullae fere essent allusiones praeter quam quod effundendo sanguinem in cruce factus etiam est Christus *pro nobis peccatum*, 1 Cor 5, atque adeo ex sanguine Dei facti, id est ex peccato Dei facti sunt homines puri et immaculati.

Et Verbum Caro factum est

11. Duas connexionis rationes explicat bene Jansenius²⁵¹, et aliam nos attulimus lectione 6, n.14. Adde quod si discipuli nati sunt ex Deo, id est ex carne et sanguine Dei, aptissime subiungitur quomodo id fieri poterit, nimirum quia Verbum Dei per quod generantur, factum est caro.

(Porque Él se hizo carne, los hombres de carne se hicieron espíritu. Vide Chrysostomum, homil.11²⁵². Chrysostomo declara: 1, lo que Dios se abajó. 2, que se puede el carnal hacer espiritual. 3, que fue verdadera Encarnación. 4, que vino a reparar nuestra corrupción.)

Deinde Jansenius²⁵³ optime explicat et impugnat falsas haereticorum explanationes, et probat evidenter *carnem* hic pro *homine* poni quia alioqui propositio continebit eam absurditatem quam neque Euthiches neque Dioscorus neque ullus alius recipiet. Deinde reddit egregias rationes propter quas Evangelista maluit dicere Verbum carnem factum quam Verbum hominem factum. Et in 1^a ratione nota quam sit abiectum carnis nomen in S.Scriptura: *omnis caro foenum [Is 40,6], omnis caro corruperat viam suam [Gn 6,12], spiritus promptus est caro autem infirma [Mt 26,41]*, et apud Paulum *caro concupiscit adversus spiritum [Gal 5,17]*, et denique nota illam maledictionem Gn 6 [3] *non permanebit spiritus meus in homine quia caro est*. In 3^a ratione nota ex D.Thoma²⁵⁴ quod aliis hominibus sanctis unitur Deus quantum ad animam, Sap 7 [27] *per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit*; in Christo vero *habitat plenitudo divinitatis corporaliter [Col 2,9]*, id est, non figurate sed vere et proprie per realem incarnationem.

5^a ratio Jansenii²⁵⁵ non videtur admittenda quia potius haec loquutio *Verbum factum est homo* convincit Nestorium, ut bene probat D.Thomas²⁵⁶ eodem modo quo ista *Verbum factum est caro*, et propterea non dixit Ioannes Verbum assumpsit carnem sed factum est caro.

12. Nota deinde carnis nomine designari solere inter homines propinquitatem et cognationem quae provenit ex coniunctione secundum carnem et sanguinem. Dixit ergo Ioannes Verbum esse factum carnem ut intelligeremus Verbum contraxisse nobiscum cognationem et propinquitatem, et ideo non confusus est Christus (ait Paulus) vocare nos fratres suos dicens *narrabo nomen tuum fratribus meis [Heb 2,12]*, quia assumpsit carnem et sanguinem nostrum. Et ex hoc concipere debemus magnam fiduciam ad consequendum quod petimus a

²⁵¹ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.14.

²⁵² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.11*. PG 59,79.

²⁵³ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.14s.

²⁵⁴ THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Expositio*, c.1. Ed. Vivès t.19, p.713.

²⁵⁵ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.15.

²⁵⁶ THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Exositio*, c.1. Ed. Vivès t.19, p.715,

Deo per Christum fratrem nostrum. De hoc argumento vide ad Hebraeos 2 et nota etiam posse nos dicere Christo quod Laban dixit Iacobo [Gn 29,14] *os meum et caro mea es*. Sumus enim fratres et consequenter filii Dei, sicut ille filius Adae. Adde quod ex hac Verbi Incarnatione communicata est tanta virtus carni propinqua ut contactu carnis aliquorum sanctorum, etiam post mortem, eiiciantur daemones, sanentur morbi, resuscitentur mortui, et hinc etiam carni concessa est potestas remittendi peccata, conficiendi Corpus Christi, etc. Vide de hoc argumento Gregorium, 2 Dialogorum, c.23. Denique haec loquutio *Verbum caro factum est* excitat nos ad amorem invisibilium et spiritualium rerum quia omnis caro diligit sibi simile Eccli 13. Vide illam prefationem *quia per incarnati Verbi mysterium*, etc, *ut dum visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur*.

Este parentesco de Cristo con todo el linaje humano le declaran algunos porque tomó la naturaleza sin supuesto, atque adeo quodanmodo antequam distingueretur ab aliquo. Verum hoc nihil est, quia distinctio naturae et propinquitatis non pendet ex supposito. Y así el parentesco, que entiendo es el de Adán. Sino que de este no hacen caudal los que tienen poca caridad y Cristo sí, y por Él nos estima como a parientes, de una cepa, etc.

13. Eucleatam huius mysterii tractationem, scholasticis relinquo nimirum quomodo facta sit unio in Persona Verbi sine eius mutatione etc. Aliarum vero iucundiorum considerationum satis fuerit [f.21] ostendisse campum ut quomodo *microcosmos* factus sit *apilocosmos*, et quomodo caeterae omnes creaturae hoc mysterio nobilitatae sint in homine qui spiritualium et corporeorum nexus et vinculum erat. Per quem apte respondeat veritas figuris et incarnatio prophetiis. Deinde, quo attinet ad similitudines quibus hoc mysterium Patres explicarunt, illa Augustini, 15 De Civitate [sic], c.11²⁵⁷, maxime congruit cum Verbi natura, ait enim: *verbum nostrum vox quodammodo corporis fit assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum*. Sic ergo Verbum Dei Caro factum est assumendo eam in qua et ipsum manifestaretur, et sicut verbum nostrum fit vox nec mutatur in vocem, ita Verbum Dei Caro factum est sed absit ut mutaretur in carnem, quippe illam assumendo, non in eam se consummendo et hoc nostrum vox fit et illud caro factum est quasi verbum vocale. Ad hanc verbi vocalis similitudinem proxime accedit similitudo lucis in perlucida christallo, ubi lux nihil patitur etiamsi frangatur christallum neque separatur a partibus et istae duae similitudines sumuntur ex duobus proprietatibus Filii Dei quae sunt ratio verbi et ratio lucis.

14. Sed considerato vitae attributo consurgit omnium optima similitudo quae ducitur ex coniunctione animae rationalis cum corpore in eodem supposito. Hac

²⁵⁷ AUGUSTINUS, 15 De Trinitate, c.11. PL 42,1072.

utitur Athanasius in Symbolo²⁵⁸; Naziancenus in epistula ad Elidon; Augustinus in epistula 3 et 57, et libro 3 De Trinitate, c.17²⁵⁹; Cyrillus, De Incarnatione, c.8. Et late D.Thomas, 4 Contra Gentes, c.41²⁶⁰. Et perpende magnam diversitatem naturarum, diversas et oppositas proprietates et operationes, et eundem hominem esse ex parte mortalem et ex parte immortalem. Deinde corpus esse organum animae coniunctum participans eius operationes, et tandem in generatione has dispositiones non attingere productionem animae et nihilominus hominem esse vere filium eius quae prebuit materiam. Sed in hac similitudine deest utriusque naturae integritas ad quam explicandam adduci solet comparatio ferri igniti et insitionis arboris. Adducunt etiam Patres similitudinem harum *vestiti* nam videtur Verbum induisse naturam humanam, et hac ratione venisse in mundum quasi in scenam. Sic explicat D.Thomas²⁶¹ illud Pauli ad filipenses 2 [7], *in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo*, verum graece pro habitu est *σχῆμα* id est figura, atque ita potius significat externam apparentiam et figuram fuisse veluti cuiusdam puri hominis atque ita, quamvis posset explicari in similitudinem hominum, id est, eiusdem speciei, iuxta illud Eccli 13 [19] *omne animal diligit simile sibi*, potius tamen crediderim Apostolum designare voluisse magnam differentiam inter Christum et caeteros homines, non quoad naturam humanam sed quoad dignitatem Personae, atque adeo admirari aequalitatem et similitudinem in conversatione et convictu, sicut statim Ioannes *et habitavit in nobis*, quasi unus ex nobis. Unde Paulus nomen hominis accipit pro puro homine (ut aiunt), sicut ad Galatas 1, *non ab hominibus neque per hominem sed per Iesum Christum*. (Sicut quamvis dux metinensis revera sit unus ex 24 senatoribus, vere dicemus quién va por ahí? Un venticuatro, no va sino el duque de Medina. Y el duque de Arcos a la entrada del rey en Sevilla, se allanó a llevar una vara del palio como uno de los venticuatro, por honrar su ciudad.) Sic ergo Christus *in similitudinem hominum factus* est, et figura inventus ut homo, id est ut caeteri inferiores homines, ut eos honoraret.

[f.21v]

Lectio 8 *Et habitavit in nobis*

1. *Tripliciter* hoc exponitur. 1^o, secundum Caietanum, de inhabitatione in animis nostris, secundum id quod ait Paulus *Christum habitare per fidem in cordibus nostris* [Eph 3,17]. Hoc autem subdit Ioannes ne quis putaret quia

²⁵⁸ ATHANASIUS, *Symbolum de Fide Catholica*. PG 28,1583

²⁵⁹ AUGUSTINUS, *9 De Trinitate*, c.11, «n.» 16-17. PL 42,969s.

²⁶⁰ THOMAS AQ., *Contra Gentes*, c.41. Ed. Vivès, t.12, p.546.

²⁶¹ THOMAS AQ., *In Ioannis Ev. Expositio*, c.1. Ed. Vivès, t.19, p.715

Verbum factum erat caro id obstisset quominus habitaret in cordibus nostris. Verum haec interpretatio est aliena a proposito Ioannis, nec cohaeret cum praecedentibus vel sequentibus verbis. –Est igitur 2^a communis prae graecorum: Chrysostomi, homilia 10²⁶², Cyrilli²⁶³, Theophilacti²⁶⁴, Euthymii²⁶⁵, *habitavit in nobis*, id est, in nostra humanitate, ut sit explicatio praecedentis sententiae, Verbum caro factum est, sic enim factum est caro, habitavit in nostra natura, non mutando se in naturam neque per conversionem sed veluti per inhabitationem atque adeo cum distinctione naturae, contra Euthichem, quia necessario aliud est quod inhabitat et aliud quod inhabitatur. Et addit Cyrillus dictum esse *in nobis* quia habitando in nostra natura visus est in omnibus nobis quodammodo inhabitare (Declaran algunos porque la tomó sin supuesto, ut supra n. 12).

2. Verum *plerique* iam cum Augustino simplicius et congruentius exponunt *habitavit in nobis*, id est inter nos. Sicut Lc 1 *benedicta tu in mulieribus*, id est inter mulieres; 1 Pt 5 [1] *seniores qui sunt in vobis obsecro*, id est qui sunt inter vos. Ait ergo Ioannes Verbum Carnem factum non egisse vitam solitariam remotam a convictu et conversatione hominum, sed habitasse inter homines et cum illis esse conversatum, iuxta prophetiam Baruch 3 [38], Zacharias 2 [10] *ecce ego venio et habitabo in medio tui*. Praeterea haec inhabitatio in medio hominum facit plenior fidem verae susceptae humanitatis, ut bene Jansenius²⁶⁶. Et tandem illud *in nobis* non videtur omnes homines designare, sed loquitur Ioannes de suis condiscipulis et de iis qui cum Christo sunt conversati, de quibus statim subdit *et vidimus gloriam eius*, atque adeo continet haec propositio iucundam et gratam tanti beneficii memoriam.

3. Pro *habitavit* graecum verbum ἐσκήνωσεν significantius est: non enim significat simpliciter inhabitare, sed tanquam in tabernaculis, quia σκηνή est tabernaculum. Qua ratione *dupliciter* potest esse sensus: 1^o, *habitavit in nobis*, id est, en unas chozas o tiendas o casas pajizas, in quo etiam paupertas eorum significatur qui Christum susceperunt, nam fere omnes fuere pauperuli; et significat etiam suprema dignitas Christi, respectu cuius regia palacia tabernacula debent appellari, porque la que es casa honrada para un escudero, para el rey es choza. Atque ita quod olim dicebatur de Domino *cuius ignis est in Sion et caminus eius in Hierusalem* [Is 31,9], que era vecino de Jerusalén y tenía allí su casa y hogar. Transfert Ioannes, Apoc 21 [2s], ad *novam Hierusalem descendentem de coelo*, et ait *ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitavit cum*

²⁶² JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil. 11*. PG 59,79.

²⁶³ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,162.

²⁶⁴ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1159.

²⁶⁵ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. Pg 129,1122.

²⁶⁶ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.15s.

eis, ubi proculdubio respicitur ad tabernaculum Domini quod fecit Moyses, et sermo est de Eucharistia, per quam in nova Hierusalem, id est in Ecclesia, habitat Christus. Atque ita domuncula in qua servatur, quamvis tota sit aurea et gemmis splendens appellamus tabernaculum. Sic enim dicimus el tabernaculo del Santísimo Sacramento, id est la choza en que vive entre nosotros. Neque potest locus Apocalipsis intelligi de habitatione in coelo, tum quia sermo est de nova Hierusalem quae *de coelo descendit*, id est de Ecclesia militante, tum etiam quia verbum graecum non significat habitationem permanentem sed temporariam, de prestado, unde alio sit commigrandum, atque ita videtur locus necessario intelligendus de Eucharistia, in qua Deus, sicut in militia, habet suum tabernaculum inter nos sicut dux belli. Et forsam posit similiter explicari quod in praesenti dicitur *et habitavit in nobis*. Sed saltem in Apocalypsi non est dubium. Quod si obiicias statim sequi *et absterget Deus omnem lacrimam et mors ultra non erit* etc, nosti egregiam responsionem.

4. Secundo, iuxta sensum graecorum Corpus Christi potest appellari tabernaculum eius. Iuxta phrasim Sacrae Scripturae, 2Cor 5 [3], qui sumus *in hoc tabernaculo ingemiscimus* etc; et 2Pt 2 [13s] *quandiu sum in hoc tabernaculo*; item *velox est depositio tabernaculi mei* [2Pt 1,14]. Ergo *habitavit in nobis*, id est vixit inter nos in corpore mortali. Nam utcumque sit nomen tabernaculi [f.22] designat alio esse commigrandum y que es de prestado en el interim. Atque ita aliud verbum est, ad Col 1 [19] et 2 [9] ubi dicitur in Christo *omnem plenitudinem inhabitare* et *in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter* οἰκέω vel κατοικήσαι. Praeterea nota habitare in tabernaculis esse militum dum belligerant, pastorum et peregrinantium, qui fixas aedes non habent. Unde haebrei per 40 annos in deserto habitaverunt in tabernaculis, et hoc pulchre congruit mysterio. Christus enim assumpsit corpus humanum triplici functurum officio apud homines: pastoris, militis et peregrini. Vide in Hieremia 14,8; quare quasi colonus futurus est in terra, et quasi viator declinans ad manendum. Admonet etiam haec phrasis *non habere nos hic civitatem permanentem sed futuram inquirere*. (Festum tabernaculorum 1^a 15 de septiembere, per 7 dies, Levit 23,34 et Deut 16,13.)

Et vidimus gloriam eius

5. De connexionione optime Jansenius²⁶⁷, et de Verbo *vidimus* quod in graeco habet multo maiorem energiam. Atque ita, 1 Jn 1 transfertur *perspeximus*. Significat enim morosam, iucundam et attentam spectationem. Unde ab eo verbo dicitur *theatrum*. Ergo vidimus, id est, spectavimus novum et admirandum miraculum, et non fuit res phantastica sed veram, quam nostris oculis

²⁶⁷ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.16.

perspeximus. Unico verbo *vidimus*, ἑθεασάμεθα, dicit quod multis explicat 1Jn 1, *quod audivimus, quod vidimus ἑώρακαμεν oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt*.

Quid nomine *gloriae* denotetur in praesenti, bene Jansenius²⁶⁸. Sed de mysterio Transfigurationis singillatim explicare videtur non esse ad intentionem Apostoli accommodatum, agit enim de eo eximio beneficio Dei qui in terris frui licuit omnibus iis qui cum Christo pie conversati sunt, et de radiis divinae lucis quae fere in omni Christi actione effulgebant, nec enim omnino suam occultabat maiestatem sed veluti per poros et parva foramina veli se praebebat videndam maiestas Christi, aut veluti sol per nubem quam suis radiis illustrat quamvis ab ea tegatur. Vide illud Exodo ultimo [40,33] *nube operiente omnia et maiestate Domini coruscante*. Los claros y oscuros.

6. Pro nomine *gloriae* respondet in graeco δόξα, pro quo noster interpres aliquando vertit *gloriam*, aliquando *claritatem*, aliquando *maiestatem*. Ut Lc 2 [9] *claritas Dei circumfulsit illos*, et in epistula Judae [8] *maiestatem autem blasphemant* et Ex [40,33] ultimo *maiestate Domini coruscante*. Docet autem Hieronymus, ad Gal 5 fine²⁶⁹ [26], *gloriam* appellari in Sacra Scriptura cum aliquid augustius atque divinius hominum se praebet observantibus, ut Exodo ultimo [40,32] *operuit nubes tabernaculum Domini et gloria Domini implevit illud*, et 3Reg 8 [11] *non poterant sacerdotes stare nec ministrare propter nebulam, impleverat enim gloria Domini domum Domini*. Sensus ergo est de divino Christi splendore quem qui vident necessario participant eandem lucem. Unde Paulus 2Cor 3 fine [18] *nos revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem*, ubi manifeste est sermo de luce quam in hac vita participant fideles, sed ait *revelata facie* quia exhibendo Christum ostendit nobis Deus suam faciem (sic enim appellatur Christus in Sacra Scriptura) et quidem non sine velo omnino, si gloria haec in se consideretur, sed si compares velamen quod positum est super iudaeorum corda, sine velo prorsus.

7. *Gloriam quasi unigeniti*. Caietanus et Arboreus volunt ut illud *quasi* ad gloriam referatur, et significet similitudinem, ita ut sensus sit «non vidimus ipsam gloriam Unigeniti sed representantem Unigenitum». Et favet Jansenius²⁷⁰ qui ait non dictum esse «non vidimus gloriam Unigeniti, quia haec videri non potest, sed gloriam quasi Unigeniti, id est dignam Unigenito». Verum nescio quorsum spectent istae formalitates: nec enim ait Ioannes vidimus quasi gloriam, sed absolute *vidimus gloriam eius* seu gloriam Verbi Incarnati, quamvis vere non sit sermo de divinitate in se sed de eius lucis radiis. Deinde omnes interpretes

²⁶⁸ IDEM, *Ibidem*, Lion 1580, p.16.

²⁶⁹ HIERONYMUS, *Comment. In Epist. ad Gal.* c.5, v.26. PL 26,451.

²⁷⁰ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.16.

bene explicant illud *quasi* non dicere comparisonem ab alia re sumptam sed convenientiam ab eadem. Vide Chrysostomum²⁷¹ et Cyrillum²⁷² et Ambrosium, serm. 18 super Ps 118²⁷³. [f.22v] Hieronymum ad Eph 5 fine²⁷⁴. Vide 1Cor 3 [15] *ipse autem salvus erit sic tamen quasi per ignem*; Iac 2 [9] *redarguti a lege quasi transgressores*; 1Cor 3 [1] *non potui vobis loqui quasi spiritualibus sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo*.

8. Notat bene Cyrillus in hac phrasi *gloriam quasi Unigeniti* designari quam fuerit illustrior gloria Christi gloria Moysis²⁷⁵ vel ulliuscumque alteri. Deinde in nomine Unigeniti, nota ex Nazianceno²⁷⁶ Oratione 4 de theologia; Basilio, homilia de fide; Damasceno, libro 1, c.9; duabus de causis Christum dici Unigenitum: 1^o quia non habet fratrem naturalem neque qua Deus neque qua Homo; 2^o, quia est unice genitum, id est singulari quadam ratione et ab unico parente, nimirum qua Deus ex Patre sine matre, et qua Homo ex Matre sine patre. Et nomen Unigeniti demonstrat Christum esse infinitae perfectionis, nam quia est Unigenitus explevit totam fecunditatem Dei Patris: si enim non explevisset, Deus Pater genuisset alterum filium, fecunditas enim Dei infinita est. Deinde quia est Filius Dei naturalis habet bona Patris sui, et quia est Unigenitus habet omnia bona atque adeo infinita, unde ille *omnia quae habet Pater mea sunt* [Jn 16,15].

9. *A Patre*. Unigenitus in graeco non est participium sed nomen, atque ita non videtur congrue dici Unigenitus a Patre sicut non dicitur filius a patre sed filius patris. Unde Jansenius²⁷⁷ subintelligendum putat aliquod participium, quasi diceret gloriam quasi unigeniti a Patre *missi* aut *procedentis*. Erasmus vero hanc vocem *a Patre* coniungit cum *gloria*, ut sensus sit vidimus gloriam Unigeniti a Patre ipsi exhibitam. Et facit locus 2Pt 1 *accipiens a Patre honorem et gloriam*. Verum melius noverant graece Origenes, tract.2 in Mt, Chrysostomus²⁷⁸, Cyrillus²⁷⁹, Theophilactus²⁸⁰ et Euthymius²⁸¹ hic, et tamen simpliciter accepere dictum esse *Unigenitum a Patre* in eodem sensu quo diceretur Unigenitus Patris, atque ita existimo eam phrasim graecis auribus non esse insolentem.

²⁷¹ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem homil.12*. PG 59,81s.

²⁷² CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,163.

²⁷³ AMBROSIUS, *Expositio in Ps.118*, sermo 18. PL 15,1543.

²⁷⁴ HIERONYMUS, *Expos. Ad Ephes*. PL 30,877.

²⁷⁵ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,171.

²⁷⁶ GREGORIUS NAZIANCENUS, *Oratio XXX*, theologica 4^a, PG 36,127.

²⁷⁷ CORNELIUS JANSSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.16.

²⁷⁸ JOANNES CHRYSOSTOMUS, *In Ioannem. Homil.12*. PG 59,81.

²⁷⁹ CYRILUS ALEXANDRINUS, *In Ioannis Ev.*, l.1, c.9. PG 73,163.

²⁸⁰ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123, 1159.

²⁸¹ EUTHYMIUS ZIGABENUS, *Comment. In Ioannem*, c.1. PG 129,1123.

10. *Plenum gratiae et veritatis*. Quod Erasmus lectori expendendum reliquerat, Caietanus libere decernit haec verba cum sequentibus construi debere atque adeo legendum esse: plenum gratiae et veritatis Ioannes testimonium perhibuisse de ipso, ut eis verbis concilietur auctoritas testi. Sed haec sententia pugnat cum sanctis omnibus tam graecis quam latinis, et cum Ecclesiae distinctione quae sequuta omnium codicum tam graecorum quam latinorum fidem, iubet ut in fine Missae absolvamus Evangelium in his verbis. Praeterea verba sequentia apertissime ostendunt de Verbo dictum esse *plenum gratiae et veritatis*, et non de Ioanne. Sequitur enim *de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia, quia lex per Moysen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Deinde in quo casu sit *plenum* et de parenthesi interposita, vide Jansenium²⁸², cuius sententia omnino mihi placet. Quamvis noverim quosdam probabiliter divinizare nostrum interpretaem non legisse ut modo habent graeci codices in nominativo πλήρης sed in acusativo πλήρη et eam esse legitimam lectionem, quia Cyrillus, l.1, c.17 et c.19 et Theophilactus²⁸³ videntur sic intelligere *vidimus gloriam eius plenam gratiae et veritatis* (est autem πλήρης utriusque generis). Verum negari non potest quin si *plenum* construatur cum Verbo et non cum gloria, ut postulat ratio et nostra lectio, multo aptius sit ut legamus πλήρης in nominativo, ut modo habent omnes graeci codices, et ut videtur postulare congruitas constructionis latinae. Porque si concierto con el *vidimus*, mejor dijera vidimus gloriam unigeniti pleni gratiae et veritatis, si no es que dice vidimus gloriam eius plenum, como decimos en romance vimos a su majestad lleno de contento, etc. Sed haec phrasis latinis auribus non arridet et contextui repugnat. Lege et vide. (Πλήρης πληρεος, acusativo πληρεα, et per primam contractorum, πληρη).

[f.23]

11. Constructio ergo legitima est *Verbum caro factum habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis*. Hanc vero constructionem *gratiae et veritatis* quidam videntur referre ad doctrinam in qua omne tulit punctum qui miscuit utile dulci. Et quidem Christus non solum viam Dei in veritate docebat sed etiam omnes *mirabantur in verbis gratiae* sive in gratia verborum quae procedebant de ore eius Lc 4 [22], *quia favus distillans labia eius* Cant 4 [11], et *difusa est gratia in labiis tuis* Ps 44 [3] unde sunt illae exclamationes *beatus venter qui te portavit*, et *verba vitae aeternae habes*, palabras de gloria, que es gloria oírle. Pro hac explicatione facit Theophilactus²⁸⁴, qui, quoniam dicitur Verbum plenum gratiae et veritatis ait duplicem esse verborum laudem, nimirum quod sint vera et grata, difficilis coniunctio in nostris verbis sed sine gratia fere aut sunt vana aut

²⁸² CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, Lion 1580, p.16.

²⁸³ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1160.

²⁸⁴ THEOPHILACTUS, *Enarr. In Ev. Ioannis*, c.1. PG 123,1159.

inutilia; unde abstinere deberet ab officio concionandi qui non potest utrumque coniungere. Sed si haec est nostrorum verborum laus, perfectissimo verbo, id est Verbo Dei, proprium erit esse summe perfectum in utroque, atque ita aptissime dicitur *plenum gratiae et veritatis*. Sed quia veritas Christi non omnibus grata fuit propter multorum pravas affectiones, ideo Evangelista designans se et suos discipulos ait habitavit in nobis plenum gratiae et veritatis, quasi diceret datum est nosse mysterium Verbi Dei et summam in eo agnoscere veritatem et stupendam in ore gratiam admirari.

12. Verum licet omnino videatur alludi ad gratam verborum veritatem non tamen id percipere videtur intendere Evangelista quia is sensus non cohaeret cum subsequenter *et de plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia quia gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. Ex quo manifeste apparet in praesenti sermonem esse de plenitudine gratiae et veritatis quae est in Christo sicut in fonte ex quo ad fideles derivatur gratia et veritas. Et quidem nomen gratiae tria videtur includere: 1^o, quod sit supra naturam et supra omnes eius vires, atque adeo ut naturae gratis tribuatur. Alioquin gratia iam non esset gratia, ut ait Paulus. 2^o, quod reddat hominem Deo gratum: non enim aliquis dicitur habere gratiam nisi respectu alterius, atque ita in hac gratia consistit iustitiae et sanctitatis ratio. 3^o, nomen gratiae includit potentiam ut gratia sanitatum, 1Cor 12 [4], *divisiones gratiarum sunt* (et hispanice dicimus que el rey de Francia tiene gracia de curar lampones). Ex hac ergo triplici nominis energia intelligimus gratiam eam quam omnibus Christus attulit esse donum Dei supra naturam iustificans hominem et tribuens ei virtutem contra omnes tentationes diaboli, etc.

13. Nomen *veritatis* quid importet vide supra in Jansenio super iis verbis *erat lux vera*. In praesenti vero a plerisque accipitur ut opponitur umbrae et figurae veteris legis et certe ea est propriissima veritatis acceptio, nam veritas dicitur apud omnes cum quis praestat quod promisit ad Rom 15 [8] *dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcissionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum* id est praedicavit genti iudaeorum ut impleretur quod Deus promiserat. Ad Titum 1 [2] *quam promisit qui non mentitur Deus* id est qui veracissimus est in promissis. Ergo aiunt Christum dici plenum veritatis quia praestat omnia quae lex promittebat. Et facit quod sequitur *lex per Moysen data veritas per Iesum Christum facta*.

Alii per veritatem in praesenti intelligunt divinae sapientiae abundantiam, iuxta id ad Colos [2,3] *in quo sunt omnes thesauri*. Verum suspicor in praesenti simplicius esse ut veritatis nomen accipiatur pro vera sanctitate, ut idem sit plenum veritatis quod plenum gratiae, nam haec veritas est quae proprie nobis a Christo dimanat et quae proprie coniungitur cum gratia cum dicitur *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*. In quo tamen significatur per legem nulli contigisse veram sanctitatem. Porque *pirotaba* [pilotaba?] la ley a un hombre

santo pero no lo hacía. Facit que suele San Juan juntar espíritu y verdad, como que adoremos y sirvamos en espíritu y verdad, y lo mismo es gracia y verdad. Paulus etiam *ambulare in veritate*.

[f.23v]

14. Iam vero quanto discrimine Christus dicatur plenus gratiae, et nonnulli alii pleni gratiae, vide Jansenium²⁸⁵, c.16, Concordia, super *et de plenitudine eius*.

Otros dicen llenos se llaman algunos santos porque cada cual tiene llena su medida, la Virgen como fuente, Y Cristo como el mar. Fontis vero metaphora non convenit omnino Virgini. Plenitudo conceditur, aliis sufficientiam et abundantiam; Christo vero data est plenitudo, effluentiam et redundantiam.

[sigue]

²⁸⁵ CORNELIUS JANSENS, *Commentarium*, c.16. Lion 1580, p.133.